ANTONII GAMMAE IVRECONS. LVSITANI REGIIQVE SENATORIS.

TRACTATVS.
De Sacramentis præstandis vltimo supplicio damnatis, Ac de testamentis, anatomia, & eorum sepultura.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM HENRICVM Portugalliæ Infantem T. T. sanctorum Quatuor Coronatorum Cardinalem.



VALLISOLETI

Excudebant Ioannes de Millis, & Andreas Bolan.
Anno. M. D. XCIX.

Expensis Martini à Cordona Bibliopolæ.

YO Gonçalo de la Vega escriuano de camara del Rey nuestro señor, e vno de los que en el su Consejo residen doy fé, que por los señores del dicho Consejo, se dio licēcia a Martin de Cordoua mercader de libros de la Ciudad de Valladolid, para que por esta vez pudiesse imprimir, vn libro intitulado Antonio Gamma de Sacramento prestando, vltimo supplicio damnatis & detestamentis anatomia, & eorum sepultura, que ante los dichos señores presento que va Rubricado de mi rubrica, y firmado al fin de mi nombre, con que despues de impresso antes que se venda le trayga ante los dichos señores del, juntamente con el original para que se vea si la dicha impression esta conforme a el, y que se trayga fè en publica forma, como por el corretor nombrado por su mandado se vio y corregio la dicha impression por el dicho original, y que el impressor que ansi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego del, ni entregue mas de vn solo libro con el original al Autor o persona a cuya costa lo imprimiere, ni otra persona para effecto de la dicha correcion y tassa, hasta que antes y primero el dicho libro este corregido y tassado por los dichos Señores del Consejo. Y estando hecho y no de otra manera, pueda imprimir el principio y primer pliego del, en el qual seguidamente se ponga esta fè, y la aprobacion, tassa, y erratas: So pena de caer y encurrir en las penas contenidas en la pragmatica y leyes de nuestros Reynos, que sobre la impression de los dicho libros dispone. Y por que dello conste de pedimiento del dicho Martin de Cordoua y mandamiento de los dichos señores del Consejo di la pressente, que es fecha en Madrid a veynte y ocho de Nouiembre de mill y quinientos y nouenta y ocho años.

Gonçalo de la Vega.

Nihil esse in hoc opusculo quod fidei Christianæ repugnet, iudicauit peritissimus sacræ paginæ interpres Frater Franciscus Forerius: cui res hæc ex officio incumbit.

Serenissimo Principi Henrico Portugalliæ Infanti, tituli sanctorum Quatuor Coranatorum Cardinalis, Antonius Gamma Regius Senator, salutem perpetuam optat.

DVO potissimum, Princeps illustrissime, tum veteres, tum nostræ ætatis scriptores in suis lucubrationibus dicandis obseruasse comperimus: alterum vt ille, sub cuius patrocinio scripta sua in lucem æderent, is esset, cuius dignitati, rei tractandæ materia conueniret, cuius & animum ea delectari solita sit: Alterum vt eum patronum sibi scriptisq; suis eligerent, cuius authoritate, & nominis splendore, à detractorum ictibus defenderentur. Hinc effectum est, vt philosophiæ præcepta, eius disciplinæ studiosis, legum commentaria iustitiæ cultoribus, poëmata poëticæ artis studio deditis offerri consueuerint. Has igitur quęstiũculas ad religionem & pietatem spectantes, quibus ab amicis consultus respondi, cui potius quàm tibi offerrem, Princeps pientissime, occurrit nemo, quippe qui religione, doctrina, & incomparabili authoritate, non modo cæteros Christianos Principes, sed omnes Ecclesiæ proceres excellis. Nec eo animo libellum hunc ædendum existimaui, vt ingenij aut doctrinæ gloriam captarem, sed quòd viris nonnullis doctissimis & Regi ipsi Ioanni Christianissimo fratri tuo, (quem nobis nuper Fata inuiderunt) res visa fuerit digna Christianis magistratibus, & quæ euulgari deberet. In hac autem re necessarijs tantummodo adductis, & superfluis omissis, breuitatem summopere affectaui, ne veritatem ipsam, cuius solet esse oratio simplex (vt est apud Euripidem) quæque egens non est ambagibus interpretum, multitudine verborum obumbrarem: nèue multorum scriptorum morbo laborare viderer, qui relictis his, quæ scopum tangunt, extranea miscent, & ad vnam eandemq; rem confirmandam, longa inculcatione allegationum lectorem detinent. Te tamen oratum velim, Princeps serenissime, vt si tibi hac breui disputatione persuasero, damnatis ad mortem inhumanè & iniustè Christi corporis cibum sacratissimum interdici, ea consuetudo ne in posterum seruetur, à Summo Pontifice obnixe cõtendas. Nec aliena hæc celsitudini tuæ videatur admonitio: decet quippe Christianum magistratũ optare, vt eorum animæ, quorum corpora morti adiudicat æterna fruãtur vita. Tuo itaque præsidio fretus, hoc quidquid est, in lucem emittere non veritus sum. Quod si (vti spero) tua protectione dignum putaueris, nihil est quòd maledicorum morsus timeam. Vale Lusitaniæ decus & Romanæ Sedis fulgentissimum sydus. Olisipone. kalendis Iunij. Anno Domini. M. D. LIX.

DVAR-

DVARDVS NONIVS LEO
Senatus Regij Aduacatus.

Corpora cum gladio atq; igni damnare nocentum.
Officio incumbat, Gamma benigne tuo,
Et pia mens duras formidet sumere pœnas,
Officio & menti consulis ecce tua.
Nam sontum ferro & laqueo cum corpora damnes,
Conaris cœlo restituisse animas.

INDEX OCTO PRINCIPALIUM Quæstionum huius tractatus

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum damnatis ad mortem qui verè cōtritionis signa ostenderint sit præstādum sacramentū Eucharistiæ.

SVMMÆ.

1 *Damnatis ad mortem, qui contritionis signa ostenderint, præstandum esse Eucharistiæ sacramentum: Nec admittendam esse contrariam consuetudinē multis probatur, num. 1. cum sequentibus.*

2 *Clemen. 1. de pœnitenti. & remiss. expenditur, num. 1.*

3 *Sacramentum Eucharistiæ dignè assumens mirabiles effectus consequitur.*

4 *Quod Eucharistia necessaria sit morientibus, quomodo intelligatur.*

5 *Qui potest obuiare & non obuiat malis proximo factis, particeps dicitur.*

6 *Declaratio tex. in c. quæsitum. 13. quæst. 2.*

7 *Exponitur tex. in Clemen. prima de pœniten.*

8 *Exponitur. c. alma mater, de senten. excom. lib. 6.*

Etiam tempore interdicti præstandā esse Eucharistiam cōdemnatis ad mortem.

9 *Conciliantur. c. super eo, de hæretic. lib. 6. & c. ad abolendam. § illos, eodem titulo.*

10 *Declaratur. l. hi qui sanctam. C. de apostat.*

Consuetudo, qua damnatis ad mortem non datur sacramentum Eucharistiæ: potius corruptela est, ibidem.

11 *Executio sententiæ mortis differri non debet regulariter, nisi in casibus expressis.*

12 *Iudicem exequentem sententiam mortis non seruata. l. si vindicari. C. de pœn. peccare grauiter contra nonnullos.*

13 *Noua consideratio quare non sit indecens nec scandalosum, imò necessarium præstare Eucharistiam damnatis ad mortem.*

14 *Communicans debet per aliquod spatium abstinere a cibis.*

15 *C. tribus de consecra. dist. 2. de honestate loquitur, non de præcepto iuxta veriorem sententiam.*

16 *Resoluitur grandis difficultas, cui satis respōdetur, ne obstet propositæ quæstioni.*

17 *Confugiens ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, quod per viam à sacerdote geritur, gaudet ea immunitate qua ad ecclesiam confugiens gauderet.*

Declaratur text. in cap. fin. de institutio.

18 *Sanctissimum Christi corpus est cibus animæ.*

19 *Damnatus ad mortem non liberatur propter susceptionem sanctissimi corporis domini nostri Iesu Christi.*

20 *Captus extra eccleſiam ſi per illã trahitur non gaudet eius immunitate.*

21 *Executio ſententiæ mortis quantum temporis differri debet propter reuerentiam ſacramenti Euchariſtiæ ſuſcepti per condemnatum ad mortem.*

INTER eas quæſtiones, de quibus ab amici interrogatus fui, quaſque diuino fauore implorato, examinare in hoc opuſculo decreui illa primum ſe ſe offert explicanda, quæ tamquam præcipua, & à chriſtianis magiſtratibus amplectenda nobis anſam præbuit, vt alias inferius tractandas non minus chriſtiana religione quàm ſcitu dignas in præſenti etiam tractarem.

1 Prima itaque quæſtio ea eſt, an damnatis ad mortem qui vera contritionis ſigna oſtenderint, ſit Euchariſtia præſtanda. Et præmittendum eſt quod generalis conſuetudo in quamplurimis regnis ac prouincijs negat his ad mortem condemnatis dãdum eſſe viaticum. Hæc autem conſuetudo inualuit tàm in regno Franciæ, vt teſtatur Stephan. Aufre. in tract. de poteſta. Eccle. quæ in regnis Hiſpaniæ imperatori ſubditis, vt inquit eximius doctor Nauar. in ſuo confeſsionario fol. 623. & etiam in noſtro regno Luſitaniæ, & in principijs eidem ſubditis talis cõſuetudo ſeruatur. Et refert idem Stephanus in d. tracta. caſu. 125. nu. 58. quod anno à natiuitate Domini. 1475. fuit condemnatus ad mortem Coneſtabilis Franciæ nomine Ludouicus de Lucemburgo, & illi petenti denegatum fuit viaticum. Et ex vi huius generalis conſuetudinis dicendum videtur cum prædicto domino meo in ſuo confeſſionario, quòd poteſtates ſæculares non peccant denegando Euchariſtiam ad mortẽ condemnatis. Dicitq; non obſtare textum in Clemen. 1. de pœniten. Cuius verba libet hic tranſcribere. ¶ Cum ſecundum ſtatuta canonica vltimo deputandis ſupplicio negari (ſi petant) non debeat pœnitentiæ ſacramentum, abuſum damnabilem in quibuſdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes, iuſtitiarios omnes, & dominos temporales, vt ab huiuſmodi deſiſtant abuſu, hortamur in domino, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, locorum ordinarijs nihilominus iniungentes, vt eos ad hoc cum primum commodè poterunt diligenter monere, & ſi neceſſe fuerit, Eccleſiaſtica cenſura compellere non omittant. Quoniam vt ille ait, loquitur

textus

textus iste in sacramento pœnitentiæ, non vero in sacramento Eucharistiæ: ad quod concedendum damnato ad mortem non est tanta ratio, quanta in sacramento pœnitentiæ. Subiungit verò rationem, quia conuenit multiplici respectu, quòd executio sententiæ condemnatorię non differatur. Quæ quidem differenda esset si condemnatus reciperet Eucharistiam, quoniam indecenter fieret, si eodem die damnatus ad mortem reciperet Eucharistiam, & vltimum pateretur supplicium. Concludendum igitur videtur ex prædictis, quòd quamquam tex. ille damnet consuetudinem (quam potius abusum vocat) per quam in quibusdam partibus denegatur sacramentum pœnitentiæ damnatis ad mortem, non tamen dánare videatur consuetudinem, qua hodie vtimur in denegando eis Eucharistiam.

2 His tamen non obstantibus, dicerem, salua sanctæ matris Ecclesiæ correctione, quòd textus ille procedat etiam in sacramento Eucharistiæ, & nullo modo debeat amplius seruari talis consuetudo. Nos enim Lusitani iudices christianissimi Regis nostri vestigia sequentes, & cannonum statuta seruare debemus in his quæ ad expellenda peccata faciunt, & opinionem eam sequi tenemur, quæ ad catholicæ fidei augmentum, & Sedis Romanæ decus & animarum commodú pertinebit. Ideoq; eam semper tenendam opinionem putarem, vt damnatis ad mortem, qui verè pœnituerint, non sit deneganda Eucharistia. Moueor primùm per iura, quæ generaliter statuerunt, vt viaticum omnibus in morte positis non sit negandum cap. pœnitentes. 50. dist. & in c. quod in te, de pœni. vbi per doctores. Nec obstat quod propter atrocitatem delicti commissi videantur aliqua iura id negare vt notat Archi. in c. impudicas. 27. q. 1. quoniam intelliguntur nisi reus criminis resipiscat. Quod si resipuerit, non est ei communio deneganda, vt habetur in tex. & glo. in c. si quis episcopú. 2. q. 3. Quinimo etiam si crimina commissa atrocissima fuerint, dummodo pœnituerit, vt in c. virginis. 27. q. 1. Adiuuatur hoc quoniam certum est iure canonico, quod nemo excommunicandus est, nisi ob peccatum mortale. c. nemo Episcoporú. 11. q. 3. & tradit S. Tho. in. 4. dist. 18. Sed sæculares iudices qui denegant damnatis ad mortem Eucharistiam iubentur excommunicari monitione præmissa, per d. Cle. 1. iuncta glo. quæ communiter tenetúr secundú omnes ibi, ergo denegátes Eucharistiá his dánatis,

peccatum mortale committűt. Ex quo sequitur, consuetudinẽ prædictam non esse seruandam, arg. tex. in c. fin. de consuetu. Itẽ regula iuris habet, quod iudex sęcularis cogi potest per ordinarium loci per censuras ecclesiasticas, ad obseruantiam iuris canonici in his, quæ ad prouisionẽ animarum statuta sunt. cap. decernimus, de sententia excommunicationis lib. 6. cap. fi. de for. compet. tradit Abbas in cap. 1. de iure iur. Cum igitur, & ad salutem animæ statutum sit, vt existens in articulo mortis Eucharistiam recipiat. d. cap. pœnitentes cap. de his. 26. quæst. 6. & sæculares potestates id denegãtes condemnatis peccatum incurrant, ab hac consuetudine abstinendum esse putarem, cum ea existente, contrarium fiat eius, quod ad salutem animarum ius canonicum præcepit: quod seruare tenemur iuxta distinctionem Bárto. in. l. priuilegia. C. de sacrosanct. Eccles. & lege regia ad id compellimur lib. 2. titu. 5. in principio ibi. *Sendo materia que tragua peccado por os sanctos canones, &c.* Facit tex. in capit. si præsbyter. 26. quæst. 6. Inquit enim, si præsbyter pœnitentiam morientibus abnegauerit, reus erit animarum, quia dominus dicit, quacumq; die conuersus fuerit peccator ad pœnitentiam vitam viuet, & non morietur. Vera enim confessio, & vltimo tempore esse potest, quia dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est. Hinc Celestinus PP. in cap. agnouimus ea. cau. & quæst. dicit. non esse denegandam pœnitentiam his qui obitus sui tempore, hoc animæ suæ cupiunt remedio subueniri. Horremus (inquit) tantæ impietatis aliquem inueniri, vt de Dei bonitate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore occurrenti succurrere. Quid hoc rogo aliud est quæ morienti mortem addere? Quæ verba licet proferantur contra eos, qui confessionem morientibus denegant, eadem ego verba proferenda putarem contra illos, qui Eucharistiam morientibus, aut his ad mortem damnatis denegant. Hi enim quodam modo his ad mortẽ damnatis adeptionem gloriæ impediűt. * Nam
3 sacramentum Eucharistiæ inter alios effectus mirabiles, quos operatur, ille vnus præcipuus est, quòd viatoribus dat adeptionem gloriæ, idest virtutem adipiscendi secundum Theologos post sanctum Thom. in 3. quæst. 79. Operatur etiam, & alium effectum, quòd præseruat à peccato dupliciter, scilicet, interius roborãdo per gratiam, & exterius repellendo omẽ Dæmonium

monũ impugnationẽ per Chriſti paſsionem, cuius eſt ſignum. Item delet peccata venialia, immò & mortalia, quorum quis nõ habet conſcientiam nec affectũ, vt per Tho. vbi ſupra in artic. 3. Vnde eſt ablutio ſcelerum, ideſt mortalium peccatorum tripliciter, ſcilicet ignoratorum, futurorum cauſando contritionem, itẽ & delet pœnam debitam peccatis licet non totam, ſed ſecundũ menſurã deuotionis, vt per eundem in artic. 5. Vnde negandum non eſt, quòd hi, qui damnatis ad mortem denegant Euchariſtiam ſumere, in cauſa ſunt, vt ab his damnatis tollatur cauſa illa, quæ virtutem adipiſcendi gloriam cauſari, & operari poterat, & vt remoueantur omnes alij effectus, quos dixi ab Euchariſtia naſci. Quod quàm inhumanum ſit, & à Chriſtiano homine alienum, nemo eſt qui non videat.

Faciunt verba Celeſtini PP. in d.c. agnouimus, ibi. Salutẽ ergo hominis adimit, quiſquis mortis tempore pœnitentiam ſibi denegat. Conſidero etiam, quòd ſicut is qui mediante Dei gratia, pœnitentiam agens, intra breuiſſimum temporis ſpatium gloriam adipiſci poteſt ſempiternã, vt latro ille in cruce pendens iuxta dominum Ieſum adeptus eſt, Lucæ. 23. capit. quoniam Deus Opt. Max. per Ezechielem cap. 18. ait, Cum cõuerſus ingemueris, tũc ſaluus erit. Sic etiam fieri poteſt, vt is qui ad mortem ducitur, quãquam cõfeſſus fuerit peccata ſua, & de illis contritionem habeat per quam à Deo culpæ remiſſionem habere obtineat, poſſibile tamen ſit, vt illa contritio non ſit tantæ menſuræ quòd & remiſsionem pœnæ conſequatur, qualis fuit illa contritio latronis in cruce pendentis. Quare & huic damnato ad mortem contrito non eſt deneganda Euchariſtia, qua mediante, ille iam iam moriturus virtutem conſequi poteſt adipiſcendi gloriam. Item quia ſecũdum ſanctũ Thomam vbi ſupra in arti. 3. eo caſu quo quis non fuiſſet primo ſufficienter contritus, ſed deuotè & reuerenter accederet ad Euchariſtiam, cõſequeretur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ ſecundum illum contritionem perficiet, & remiſſionẽ peccati. ¶ Item & vltra iam ſuperius dicta, hoc pręſtat Euchariſtia dignè ſumentibus, vt corda contrita, & humiliata efficiat. Nam quàm diu Euchariſtia non recipitur, cor non recipientis induratur, iuxta tex. in capit. præſbyter. 82. diſtin. ibi, Corporis & ſanguinis domini ne indureſcat particeps fiat. Imò & regulare eſt, quòd propter contritionẽ,

licet culpa deleatur, non tamẽ tota pœna cõdẽnetur, ſed pro ęterna temporalis debetur, vt omnes catholici affirmant, ſecundũ Thomam & Ricar. in 4. diſt. 13. & doctores noſtros in Clemẽ. 1. de priuileg. vbi latè per Cardin. & eſt tex. in c. nullus debitè, de pœnit. diſtin. 1. Cuius verba doctiſsimè interpretatur dominus meus Nauar. de pœniten. diſt. 7. in c. vlti. in. §. ſi quis enim. Non tamen negari debet, imò firmiter aſſerendum, quòd tanta poteſt eſſe morientis contritio, vt tota penitus pœna deleatur, habetur in tex. & glo. in c. menſuram, de pœnit. diſt. 1. Nam apud Deum nõ tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. c. in actione, de pœnit. diſt. 1. Hoc tamen cum rariſsimè euenire legamus in ſacris litteris, exquirenda ſunt ex omni parte remedia, quibus iuuemus noſtram noſtrorumq; proximorum contritionem, vt illa tantæ menſurę fiat, vt valeat contritus recta in cœlum volare. Horum autem remediorũ cum potiſſimũ ſit viaticum dignè ſumentibus, vt ex prędictis conſtat, ergo illud his vltimo deputandis ſupplicio denegari non debet quando verè pœnituerint.

4 Pro hac etiam opinione facit, quòd moriẽtibus dicitur eſſe neceſſarium viaticum ad vitã æternam, vt in c. ſi quis de corpore, & in c. de his. 26. q. 6. quod tenere videtur ſanctus Thomas in. 3. q. 80. artic. 11. Et quamquam veritàs ſit, quòd hoc ſacramentũ nõ ſit neceſſitatis adultis omnibus, vt ex multis concludit Caieta. ad Tho. in. 3. q. 80. art. 12. in reſponſione ad primum verſic. quoad quartum, & per Ambroſium Catho. in libello de ſacramento Euchariſtiæ, pagina. 260. tamẽ licet non neceſſarium, vtiliſſimum tamen eſt ex ſupradictis, & ita interpretatur verbum neceſſarium poſitum in illis capitulis per glo. ibi. Ergo etiam his qui in patibulo mori debent danda eſt Euchariſtia. Nec nos chriſtiani iudices chriſtiano homini hòc ſacramentum petẽti denegare debemus, cum illud licet non neceſſarium ad ſalutem, vtiliſſimum tamen ſit propter multiplicem effectum, qui ex eius receptione prouenit ei qui verè contritus illud receperit.

Vltra rationes ſupra adductas reperio hanc opinionem tenuiſſe glo. in Clem. 1. de pœnit. cum qua omnes doctores ibi tranſeunt, item & glo. in c. ſi quis de corpore, ſupra alleg. quas ſequũtur expreſsè Cardina. Imol. & alij in d. Clemen. 1. vbi Bonifac. de Vitali. referendo Hoſtiẽ. in c. ſane, de celebra. miſſa. dicit ita tenẽdũ cum hac moderatione, vt illo

die differatur executio. Dicit tamen latius inſiſtendo, quod hoc non ſeruatur immò in nonnullis locis ille qui ducitur ad mortem reperit in via ſacerdotē qui miſſam celebrat, & ab eo recipit cōmunionem. Et licet ſecundum eum honeſtius eſſet, vt executio differatur illo die, tamē nō ideo fit iniuria ſacramento, nec ſacramentum minus proficit ex quo in homine iſto apparuerunt ſigna contritionis. Eſt enim viaticum hoc animæ cibus & nō corporis. Nec ſecundum eundem propter receptionem viatici differenda eſt executio: quoniam cum dominus Ieſus iuſtus ſit, & iuſtitiam dilexerit non debemus ob receptionem ſui ſanctiſſimi corporis executionem iuſtitiæ differre, ne quodammodo bonum iuſtitiæ impediatur, & ſic videatur Reipublicę iniuria naſci, vnde iura naſcuntur, argum. l. meminerint. C. vnde vi. Et ex his dari poteſt rēſponſio ad obiectum, quod ſupra pro parte contraria adducebam de quo infra dicam.

5 Hanc ego opinionem adiuuarem quia iure canonico præſertim in foro animæ, vt omnes affirmāt, qui malis obuiare poteſt ianuam ſuo proximo obuenturis, ſi non obuiat in culpa eſt, vt particeps huius mali ſit. c. quantæ in fin. de ſententia excommu. c. ſicut dignum. §. illi etiam, de homicid. c. dilecto, de ſentent. excommu. lib. 6. ibi. Immo ſi poteſt, & negligit, videatur iniuriā fouere, ac eſſe particeps eius culpæ. Et ita tenent multi, quos retulit Decius in. l. culpa caret, nu. 12. de regu. iur. Iudices itaque ſæculares, qui cōdemnato ad mortem verè contrito viaticū denegant, cum illud ei dari permitterē potuerunt, nihil aliud facere vidētur, quàm nolle obuiare calamitatis, & amiſſioni bonorū ſpiritualium, quibus ille carere debet ab hac vita deſcedens ſine ſacramento Eucharistiæ, de quibus ſupra dictum eſt.

6 Quid vltra moror? textus eſt clarus qui quæſtionem iſtam decidit in cap. quæſitum. 13. quęſt. 2. cuius verba hæc ſunt: Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus, poſt confeſsionem Deo peractam, vtrum cadauera eorum ad eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro eis offerendæ, & miſſæ celebrandæ, an non? Quibus reſpondemus: ſi de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio in fine ſecundùm præcepta canonum danda eſt, cur canones communionem vel ſepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis ſuis pœnam ex

tremam perſoluunt, & confitentur, vel cõfiteri deſiderant? Scriptum eſt enim: Non iudicat Deus bis in idipſum. Ex quo textu apertè conſtat ſtatutum fuiſſe in Concilio Maguntineñ. non eſſe his ad mortem condemnatis denegãdam cõmunionem. Quod ſic firmiter tenuerunt doctores, vt neminem videam qui contrarium iure auſit affirmare poſt Syl ueſtrum in verbo ſepultura, in quæſt. 10. Nec dicat aliquis, hoc iure antiquo ſtatutum, conſuetudine contraria iam ſopitum eſſe: quia conſideratis his quæ ſupra dixi etiam ſi cõſuetudo contrarium introductũ habeat, non verè eſt conſuetudo ſed abuſus, vt dicitur in d. Clemen. 1. de pœnit. In peccatis enim quoad Deũ conſuetudo non excuſat. c. cum tanto, de conſuet. vbi notat Abbas num. 2. facit. c. flagitia. 32. q. 7. & habetur per glo. 4. diſt. in. c. denique. Et ratio in promptu eſt. Nam quamuis verè conſuetudo eſſet, id ſolum tribueret, quod lex ipſa iuxta no. in c. 1. de conſuetud. & in. l. de quibus. ff. de legibus. Et tamen certum eſt, quòd ſi aliud lex humana iubeat, aliud lex diuina, ſeruandũ ſit ꝙ lex æterna iubet, vide licet in foro cõſcientię. c. Iulianus. c. qui reſiſtit. 11. q. 3. in quo ſenſu multa memoratu digna ab eximio doctore Antonio Pinario adducta fuerunt in ſermone Euãgelij Lucæ. c. 10. ſuper illud verbũ dominicum, in lege quid ſcriptũ eſt? Cũ itaq; lege diuina, quæ proximũ diligere iubet ſicut meipsũ, & humana naturaliter nobis inſita teneamur proximis, & eorũ ſaluti conſulere, dicerem quod quãquam lex humana expreſſe vetaret Euchariſtiam his damnatis dari, nõ eam ſeruarem iuxta text. & ibi no. in dict. c. qui reſiſtit, & faciunt not. per Felin. in cap. 1. ſecunda col. de conſtitu. Item dico quod ſi illud quod in dict. cap. quæſitum diſpoſitum fuit, nunc abrogatum nõ eſt cur ſtare negabimus? arg. l. præcipimus de appella. Cod.

7 Immo ſi rectè conſideremus diſpoſitionem nouam Clem. 1. de pœniten. hoc idem dicere nõ negabimus, quia licet expreſſè non loquatur in ſacramento Euchariſtiæ, ſed pœnitentiæ, ſufficit quod de pœnitẽtia ideſt de ſacramento cõfeſsionis loquatur, vt etiam intelligatur de ſacramẽto Euchariſtiæ. Probatur in c. 1. iuncta gloſ. de tornea. Inquit enim, quod is qui moritur in torneamẽto, & pari ratione in duello licet ei poſcenti pœnitentia non denegetur, debet tamen eccleſiaſtica ſepultura carere. Subiungit ibi glo. quod nec Euchariſtiæ ſacramentum denegabitur, quoniam per verbum ibi poſitum,

situm, pœnitentiam, intelligitur. etiam viaticum quod morientibus non negatur. Ad idem est tex. iuncta glo. in cap. quod in te de pœniten. Et est summè aduertendum licet aliquantulum extra propositum sit, quod ait tex. in d.c. 1. sepulturam denegandã esse mortuo in duello licet signa contritionis habuerit, per quæ potuit Eucharistiæ & pœnitentiæ sacramenta recipere, super quo glo. assignat optimam rationem, & ob id nuperrime vidi denegatam sepulturam mortuo in duello.

¶ Redeundo ad propositum cõfirmatur ista consideratio ad Clemen. 1. de pœni. ex theorica cõmuni quam. DD. deducunt ex glo. fin. in. l. si quis seruo persuaserit C. de furt. quod quãdo duo sunt æquiparata à lege antiqua, tũc noua dispositio facta in vno habet locum in alio de quo per Bart. in. l. Marcellus, num. 6. ff. ad Trebel. Dec. in. l. emãcipata. nu. 30. C. qui admit. Ias. in. l. 1. num. 5. ff. de vulga. latè Ioan. Crot. in l. omnes populi, col. 38. versi. tertia quæstio. ff. de iusti. & iur. Cũ igitur per canonem antiquum in d.c. quæsitum æquiparata sint ista duo sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, merito lex noua in Clemen. prima. de pœni. quæ damnat cõsuetudinem, per quã damnatis ad mortẽ denegatur pœnitentiæ sacramentum, damnare etiam intelligitur eam consuetudinem, quæ sacramentum Eucharistiæ his ad mortem damnatis denegat.

8 Confirmatur hoc quia videmus quod tex. nouiter æditus in cap. alma mater de sententia excommu. lib. 6. qui tempore interdicti permittit sacramẽtum pœnitentiæ, & quidem per verbum taxatiuum solummodo, intelligitur etiam secundum communẽ opinionem permittere sacramẽtum Eucharistiæ: non sanis tamen ac viuis præstandum, sed infirmis aut aliter iam iam morituris. Quæ opinio communis fundatur in tex. expresso in d. cap. quod in te in prin. de pœniten. qui quamquam antiquior sit, sic tamen per illum interprætari & intelligi debet tex. ille nouus in d. cap. alma mater. Nam nouum non est, vt lex noua per antiquã interprætetur, quę de eadem materia loquatur iuxta glo. & ibi late no. per doctores in. l. sciẽdum ff. qui satisda. cogan. habetur in l. sed & posteriores. ff. de legi. Sic ergo dicendum est, quod licet tex. nouus in Clemen. 1. de pœniten. simpliciter loquatur in sacramento pœnitentiæ, quod damnatis ad mortem dicit non esse denegandum, intelligatur etiam in sacramẽto Eucharistię de quo tex. antiquior in d. c. quæsitum

locutus fuit. Vnde Phil. Franc. in d.c. alma mater. 2. col. referendo eximium docto. Petr. ab Ancha. tenuit quod etiam tempore interdicti his damnatis ad mortẽ sit dandum viaticum.

9 Est etiam tex. qui hoc expresse dicere videtur in cap. super eo de hæreti. lib. 6. ibi si tamen post modum pœniteant, & pœnitentiæ signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam (humiliter petita) sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ deneganda. Loquitur enim tex. ibi de relapsis in hæresim, qui Curiæ sæculari traduntur debita animaduersione puniendi. Horum namque pœna vltimum supplicium est igni causandum. l. Arriani C. de hæret. & sic habet communis opinio. Et considerandum est, quod Alex. III. in illo. c. super eo concilíat duo illa quæ inuicem pugnare videntur. Alterum est, quod ecclesia nulli redeunti claudit gremium suum. c. duo. 23. q. 4. l. fin. C. de sum. trinit. Alterum ꝙ relapsi in hæresim iudicio sæculari relinquendi sunt nullâ prorsus pœnitentia admissa. c. ad abolendam. §. illos, de hæret. vt scilicet autoritas prima procedat quoad spiritualia, secundum verò dictum procedat quoad pœnam temporalem. Vnde tex. ille concludit, quòd his iudicio sæculari traditis vltimo deputandis supplicio non sunt deneganda sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, de quo tradit Franc. Desquila. in tract. de fide catho. cap. 27. in fin. & DD. in d. cap. ad abolendam in verb. pœnitentia. Quòd (saluo saniori iudicio) dicerem procedere etiam in apostatis, qui à sancta fide semel agnita omnino recesserunt reuertentes ad legem Moysi iam diu sepultam. Nam quamquàm isti deterioris conditionis sunt quã cæteri hæretici, iuxta illud, melius erat eis viam domini non agnoscere, quàm post agnitam retroire, vt habetur in cap. quidã, de aposta. in cuius confirmationem multa adducit Oldra. cons. 51. & facit illud, qui posuerit manum in aratrum & retro aspexerit, non est aptus regno dei cap. magnæ, de voto. Iuxta illud Vrbani in. c. scimus. 12. q. 1. quòd grauius puniũtur qui fidem perceperunt aut votum fecerunt, quàm illi qui sine voto aut fide mortui sunt, & tamen tex. ille in d. cap. super eo, procedere debet in apostatis, quibus pœnitentibus sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ dandum est, licet ad mortem per sæcularem curiã condemnentur. Nam circa admissionem, & reconciliationem hæreticorum ad gremium ecclesiæ tenenda est eadem regula in his qui redeunt ab apostasia, quę

in

in alijs hæreticis tenetur ſecundum Villadieg. de hæreti. in q. 20.verſic.& aduertendum.Nam licet illi magis nefandum crimē committant quam alij hæretici, tamen apoſtaſia non conſtituit diuerſam ſpeciem hæreſis,ſed addit circunſtantiam quandam aggrauantem, ſecundum Thom. ſecunda ſecundæ,q.12.arti. 1. in
10 ſolu.ad tertium. * Non tamen omitto quòd vir doctiſſimus Villadieg.male ſe habet in eo quòd affirmet. l. hi qui ſanctam. C. de apoſta.quæ prorſus denegat admiſsionem apoſtatarum eſſe correctam ſeu non habere vigorem eo quòd lata ſit ab Imperatore ſuper materia merè ſpirituali. Nam ſalua pace tanti viri, ſi tex. illum intelligamus ibi nullo penitus remedio pœnitentiæ, &c. quoad pœnam temporalem rectè diſpoſitum eſt,& iuri canonico magis conſentaneum eſt per d.c.ſuper eo. At tex. ibi non negat nec negare potuit his etiam relapſis ſi pœniteant danda eſſe ſacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ, vt diſponitur in d. c. ſuper eo,quia quoad hoc diſponeret ſuper re ſpirituali. Et quáquam. Arelata.in tracta.de hæreti.nota.44.nitatur defendere validitatem illius textus, tamen ſi ſic tex.illum intelligamus,res eſt clara nec indiget Arelatani interpretatione. Quod autem textus ille loquatur in pœna temporali,ad quam euitandam,dicat, nō ſufficere pœnitētiam ipſius apoſtatæ, dixit ſolenniter Matth. de Afflictis in conſtitut. Neapolit. in rub.de apoſta.in princ. Vnde ceſſat dubitatio Villadieg.& concluditur quòd hæreticis & apoſtatis, qui iudicio ſæculari traditi ſunt, etiam ſi ob pœnitentiam ſuā non excuſantur à pœna mortis, tamen non ſunt ei ſacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ deneganda.Quare audacter firmādum cenſeo conſuetudinem (ſi conſuetudo dici poteſt) huic rei contrariam,iniquam, iniuſtam, & ab humanitate & pia religione alienam eſſe,& potius corruptelam, & abuſum vocādam eſſe. Nam ſi iure ciuili ſtatutum eſt ratione humanitatis, quod quiuis extraneus appellare poſſit à ſententia lata contra eum, qui ad mortem condemnatur.l.non tā tum. ff. de appella. & ob hoc ſolum quòd officium humanitatis impendit dicitur huic appellanti intereſſe competere, ſine quo alias non poteſt quis pro alio appellare per tex.in.l.à ſententia.ff. eod. quomodò Chriſtianus iudex Chriſtiano homini opem ferri negabit ad ſalutem non quidē corporis ſed animæ? Quæ quanto præciſior ſit corpore, nemo ignorat,iuxta illud Euangelij Lucæ.9.& Matth.16. Quid prodeſt ho-

homini si totum mundum lucretur animæ verò detrimentum patiatur?& habetur in text.in c. Matthęus,de simonia. Opem autem ferri negatur, cum denegatur ei sacramentum Eucharistię. Quare is iudex incidet in peccatum non leue iuxta ea, quæ tradit sanctus Ambrosius in lib.de officijs, & habetur in cap.non satis.86.dist.contra eos qui proximo suo existenti in extrema necessitate nõ subueniunt. Inquit enim. Si tempore afflictionis suę à te nihil impetret, si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri, non est leue peccatũ. Sic ego dicendũ putarem aduersus eos, qui perniciosam & impiam istam consuetudinem obseruant. Plus enim apud illos valet inanis consuetudinis obseruantia, quàm vita æterna morituri, ideoq; non leue peccatum committunt.

Concludendo igitur per rationes & iura supra deducta dicerem, quòd damnatis ad mortẽ, etiam propter crimina atrocissima, non sit deneganda Eucharistia, sicut & non denegatur sacramentum confessionis.

11 Non obstant quæ pro partę contraria supra dicebam, quòd conuenit executionem sententiæ non differri, quæ necessario differenda esset illo die, in quo condemnatus sacramentum Eucharistiæ reciperet propter indecentiã. Verum enim esse fateor executionem differendam non esse, hoc enim ius commune dictat, vt in.l.cum reis.C.de pœn. l.si quis forte.ff.eod.cap. sicut.1. quæst.2.cum similibus. Et videtur hodie apud nos expressum per legem regni lib.5.tit.60.§. *E mandamos*, quòd in eodem die, aut saltem proximè sequenti fiat executio nisi in aliquot casibus de quibus per Doctores in locis supra citatis, & per Hippo.in.l.1. §.fin.ff.de quæsti. latius per eum in practica crimi.§.oportune, & per Felin.in cap.quærenti.2. colum.de offi.deleg. Inter quos est ille casus vulgaris, singularis tamen, in.l.si vindicari.C.de pœn. videlicet quãdo princeps aliquẽ condemnaret iracundia motus, aut ob vindictam, non seruato iuris ordine, vt inquit tex. similis in cap.cum apud.11.quæst.3. tunc enim dicunt ista iura differendam esse executionẽ per.30. dies, & secundum legem regni
12 per.20. Nec vnquam mihi placebit opinio cuiusdam doctoris Bononiensis, qui publicè legendo dixit, quòd si iudex non seruata l.si vindicari.C.de pœn. sententiam mortis exequeretur, non peccaret, per eaque dicit Cy. in l.rescripta,C.si contra ius vel vtili. pub. quem refert & sequitur Abb.

Abb. in cap.cum olim num.23. de ſent. & re iud. quia neq; iſta concluſio vera videtur ex latè traditis per Felin. in cap. quæ in eccleſiarum num. 66. circa fin. de conſtit. vbi concludit, quòd in foro animæ vbi quis viderit cauſam non ſubeſſe, non tenetur principi parere. Pro quo conſidero tex.in cap.qui reſiſtit. 11. q.3.vbi dicitur, quòd in ſimilibus Imperator carcerem, Deus autem gehennam minatur. Pro quo facit, quòd ſingulariter tradit glo. per tex.ibi,in cap.non inferenda.23.q.3.& tenent Abb.& alij quos refert & ſequitur Felin. in cap.de cætero num.5.de ſent. & re iud. vbi dicunt, quòd in criminalibus vbi executio irreparabilis eſt, ſi iudex executor ſententiæ viderit eam iniuſtam ſuperſedere debet, ne animam ſuã damnet,ſecundum Innoc.in cap.paſtoralis.§.quia verò, de offic. delega..Item nec illa concluſio vera eſt,quia in effectu illud nõ dicit Abbas. Nã licet dixerit,quòd poteſt quis exequi ſine peccato ſententiam principis mandantis aliquem ſuſpendi ſine cauſæ cognitione, non tamen dicit,nec dicere potuit, quòd non expectetur tempus datum à prædicta. l. ſi vendicari. Quando agnouerit ex verbis ſententiæ vel aliunde, quòd princeps illud mandat potius ex vindicta& iracundia, quã ex zelo iuſtitiæ, vt habetur in d. cap.cum apud. Cum tamen hoc non ſit præſentis materiæ, in eo amplius non inſiſtam.Sed redeũdo ad propoſitum dico, quòd quamquam verum ſit executionem ſententiæ criminalis, per quam quis ad mortem condemnatur, non eſſe differẽdam, nec admittẽdum eſſe quidquã quod illam differret ſecundum diſtinctionem tex.in.l. ſi quis forte. ff. de pœn.nõ tamẽ ſequitur quòd ex receptione ſanctiſsimi corporis domini noſtri Ieſu Chriſti neceſſariò ſit executio differenda: quoniam licet executio fiat,non tamen concedendum eſt, quòd ex hoc indecentia contingat. Item & ſi contingere aliquis credat,certe iam indecentiam facilè vitabimus ſi in ſequentem diẽ executio differatur, in quo nullum dari poteſt inconueniẽs, vt infra dicam.

13 Et probatur iſta reſpõſio hoc modo. Aut enim indecentiam hic cõtingere dicet aliquis propter ſcandalum, quod in populo naſci poteſt eo, quòd in eodem die is qui ſacramentum Euchariſtię accepit,ad furcam ducitur, & tunc reſpondeo cum tex.in c. qui ſcandalizauerit de regu. iur. cum dicit: vtilius enim ſcandalum naſci permittitur,quam veritas relinquatur. Hoc enim ſcãdalum cum puſillorum ſit ex infirmitate

firmitate vel ignorantia proce-
dens, ſi reddita ratione ſcanda-
lum ceſſauerit, res in tuto eſt. Si
verò duret, iam Phariſeorũ erit,
& ideò de illo curandum non
erit, Matth. 15. Si verò indecen-
tiam conſideremus ex parte con
demnati, certe decentiam po-
tius dicemus ob id quod viatico
animam cibauit ſic decenter, vt
contritione præhabita, ſolatium
animæ tribuerit, qui corporis af
flictionem maximam iamiam ſu
ſtinere ſperat. Item nec inde-
centiam dicere poſſumus cum
hic mortem ſtatim ſubiturus om
nia quæ chriſtianum hominem
decet, rectè & decenter perege-
rit. Si verò indecentiam conſi-
deret aliquis interuenire, eo ꝙ
non decet accepto Euchariſtiæ
ſacramento ſtatim cibum vulga
rem admiſceri huic ſanctiſsimo
cibo iuxta tex. & ibi no. in cap. ſi
quis per ebrietatem de conſec.
diſtin. 2. & habetur in cap. ex par
14 te de celebr. miſſa. * Dnde dicit
tex. ſingularis in capit. tribus de
conſec. diſtin. 2. quod recipiens
ſanctiſsimum corpus Chriſti de-
bet poſt receptionem ieiunus eſ
ſe per aliquod temporis ſpatiũ.
Quod quidem hi qui ducuntur
ad mortem non conſueuerunt
facere, imo ſtatim aut in itinere
cibum aliquem prægustant ad re
fectionem virium. Non ideo ta-
men res hæc indecens eſt, tum
quia per denegationem huius ci
bi tolletur illud inconueniens,
tum quia ſi aliter fieri nõ poſſet,
nihilominus ſatisfit. d. iuribus,
nam in quolibet alio ieiunio an-
te prandium licitum eſt aliquid
ſumere (modò ceſſet fraus) &
hoc ne obſit ieiunanti mora prã
dij: tenet hoc Thom. in. 4. diſt.
15. artic. 4. Item & poſt prandiũ
poteſt quis idem facere ſine eo
quod meritum ieiunij perdatur,
quando timet quod potus ei no
cebit ſine aliquo cibi ſtramento,
quod latè proſequitur Syluester
in verbo ieiunium in. 3. q. Si igi-
tur hoc permittitur ne ſaluti cor
porali damnum inferatur, maio
ri cum ratione id permittendum
eſt, ſi ſaluti animæ hoc damnum
immineat. Imminet autem his
ad mortem damnatis, qui prop-
ter mortis timorem ſenſu defi-
ciunt, ſine quo de peccatis ſuis
dolere non poterunt, & ad refe-
ctionem ſenſus, & ſpiritus corpo
ralis reparationem cibum degu-
15 ſtant. * Item & vltra omnia iſta
dicendum eſt, quòd tex. in d. c.
tribus non loquitur de præcep-
to, ſed de conſilio ſecundum Ar
chidia. ibi. & ſecundum Abb. in
d. cap. ex parte non obſeruatur.
Et poteſt etiam omnibus ſatisfie
ri ſi ſummo manè damnatus ad
mortem confiteatur peccata ſua
& Euchariſtiam recipiat, nam ab
illa hora vſq; ad aliam in qua ad
furcam

furcam ducitur, transactum erit tempus præfixum in cap tribus, inquit enim, quòd qui sumpsit corpus Christi de manè, debet differre cibum naturalem, vsque ad sextam. Vnde licet elapsum nō esset tale tempus de facili tolletur hoc inconueniens si tempus tam breue expectetur. Si autem indecentiam euenire credamus si in eodem die iste damnatus ad mortem qui sacramẽtum Eucharistiæ recepisset, vltimum pateretur supplicium, tunc dico nullum esse incōueniens ad eam indecentiam tollendam, quòd huic damnato sententia publicetur ad vesperas diei in quo mori debet, quo possit & diligentius ac accuratius peccata præmeditata confiteri,& Eucharistiam recipere ante diem mortis, & differatur executio vsq; ad sequẽtem diem, nam & hoc modo satisfit legi regni in d.lib.5.titu.60. §. 1. ibi. *O mais cedo que honestamente se possa fazer.* Et temperatur alia opinio Hostien.in summa de immun. Ecclesi. vbi dicebat quòd per tres dies differri debebat executio, & illum sequebatur Hippol.in pract.in. §. oportune, nu. 30.& Ludo. Carr. in practica, in §. circa,fo.272.nu.102.Innocen. tamen loquitur per verbum forte, & verius est sufficere, vt alia sequenti die executio fiat,& hæc
16 est intentio Hostien. Quod magis huic conclusioni obstare videtur illud est, quòd inuictissimus Rex noster qui cum christianissimus sit, omnem curam ac diligentiam in Christianæ religionis augmentum adhibendo tolerare videtur hanc consuetudinem, quam iure & rationibus improbaui. Serenissimus etiam Infans Henricus Cardinalis eius frater omni æuo memorandus, & nulli pietate secundus, illam etiam consuetudinem non improbat,nec etiā doctissimi huius regni prælati eam reprobarunt. Sed huic obiectioni facilis est responsio,præ oculis habendo verba Innocen.PP. III. in cap. cum iamdudum, de præben. ibi cum multa per patientiam tolerātur, quæ si deducta fuerint in iudiciū exigente iustitia non debeant tolerari. Vnde dicit ibi glo. communiter approbata,quòd per talem patientiam non datur dispẽsatio,& ita dicendum est in hoc & similibus casibus maximè si cōsuetudo irrationabilis est,secundum Domini,& Alex.in. §. legis 4.dist.& iuxta tradita per Feli. in cap.1.col.2.de tregua & pace, & hanc consuetudinem irrationabilem quæ etiam apud Flandriæ populos vigebat iam ab ipsis populis expellendam statuit pius Imp. Carolus V. in constitu. de capitalibus iuditijs, artic. 79. vt refert vir doctissi. Iodoc. Damhouderius

mhouderius in sua pract. cri. c. 150.num. 4. de confess. malefic. asserens hunc laudabilem morē hodie plerasq; Romani Imperij ciuitates aliosq; pios & deuotos magistratus obseruare, quam ipse putat probatiorem & magistratibus christianis digniorem. Cū autem in dando viatico his qui à corpore recedunt, cura & probatio sit Episcopi, vt inquit text. in c. de his. 26. q. 6. ideo ex hoc tex. iunctis his quæ supra dicta sunt inferri potest prælatos & alios ecclesiarum rectores quibus negotium huiusmodi tractare conuenit, non omnino culpa carere, quandoquidem silentio rem istā tanti ponderis prætereunt, quæ eorū animos exasperare debuit, & licèt eis expresè à superiore suo id mandaretur, debebant tamen renuere, iuxta forman cap. si quando, de rescrip. donec maturius superior rem ipsam pertractasset. Miseros enim prȩlatos appellat Accursius in Authen. de manda. princip. eos qui timent in tantum literas superioris, vt non audeant reclamare, quod facere non debent in his, scilicet quæ ad bonum publicum spectant. Dicit namq; tex. ibi. quidquid publico & vtile est ciuitatibus cogitabis, & facies & nunciabis. Veh igitur illis si propter obsequium alicui præstandum contrarium tollerant eius quod sibi ipsis sua conscientia dictat. Nam sicut is qui excutit manus suas ab omni munere beatus est, & in excelsis habitabit, vt habetur per Isaiam. 33. cap. & in capit. qui recte. 11. q. 3. Munus autem in hoc etiam consistat quòd aliquid fiat propter obsequium alicui præstandum, & humanam gratiam requirendam, vt dicit tex. in cap. sunt nonnulli. 1. q. 1. ita per contrarium infœlix erit, & in excelsis non habitabit is qui ob humanā gratiam consequendam aliquid non faciendum fecerit.

Vt omnia igitur in tuto sint, huius essem opinionis quòd ardua res hæc quamuis iure & rationibus supra adductis clarissima sit, tamen in proximo futuro concilio Synodali seu Prouinciali proponatur, ibiq; per viros & religione, & literarum scientia præstantissimos statuatur, & declaretur, vt pusillorum scandalum cesset, his damnatis ad mortem viaticum præstandum esse, ne possim amplius res hæc in dubium vertatur.

Oportunè conuenit nunc dubitare, si sanctissimum corpus Domini suscipiat is qui ad mortem cōdemnatus est, an per eius receptionem liberetur à pœna mortis. Ratio autem dubitationis nō minima oritur ex eo quod à plerisque affirmatur, quòd confugiens ad sanctissimum Christi cor-

corpus quod per viam ducitur à ſacerdote, gaudet ea immunitate, qua confugiens ad Eccleſiam gauderet. Sed quoniam ab iſta quæſtione illa ſupra relata pendet, ideo de hac prius agendum videtur: & breuitati conſulendo dico * non eſſe aſſentiendum
17 his qui putarunt hunc cõfugientem ad ſacramentum Euchariſtiæ non gauderæ immunitate: nec prorſus pro eis quidquam facit tex. in c. fi. de inſtitutio. allegatus ab Imol. in Clem. 1. num. 10. de pœnit. qui habet, non poſſe quemquam qui ius habet conferendi dignitatem ſeipſum eligere, quaſi velint, quòd Deus Opti. Max. Eccleſijs, & locis pijs priuilegium immunitatis dando ſibi ipſi dare non videatur: quòd longè abeſt à veritate. Si enim Deus omnipotens priuilegium hoc tribuit per ſummos Pontifices locis omnibus in quibus corpus eius ſanctiſſimum veneratur, cur & multo magis ſibi ipſi, & eius corpori ſacratiſſimo illud concedere non videbitur? Nec argumentum de tex. in d. c. fin. procedit in hoc caſu, propter diſparitatem rationis prouenientem à diſparitate perſonarum. Nam in cap. fin. qui ius habet conferendi dignitatem, nõ à ſeipſo ius illud habet, ſed ab alio ſuperiore datum, vel à lege, vel à canone, meritò is qui poteſtatem dedit alicui conferẽdi dignitates, ſibi ipſi collator dare non videtur ſeipſum eligendi, ne præſtetur occaſio delinquendi, vt ſcilicet is amore ſui captus decipiatur, putans ſe ad eam dignitatem vel beneficium digniorem cæteris: at cum iſta ratio prorſus ceſſet in ſummo ac omnipotenti Deo: igitur, &c. Ceſſant ea omnia quę in ſimili congeſſit Iaſ. in l. cum filio, num. 17. cum ſequen. ff. de leg. 1. ad id quod vulgo dicitur quòd differentia debet eſſe inter dantem & accipientem, vt inter baptizatum & baptizantem, vnde non poteſt quis ſeipſum baptizare cap. debitum de baptiſm. & inter patronum præſentãtem & præſentatum. cap. per veſtras de iure patro. & ſimilia. Ceſſant enim omnia quia dans, præſentans, & baptizans nõ à ſeipſo ſed ab alio, puta à lege vel ab homine poteſtatem habent dandi, pręſentandi, baptizandi. Nimirum igitur ſi longa ſit differentia inter hunc donatorem, & Deum Opt. Max. datorem, & creatorem omnium rerum.

Quare Hoſtienſis in ſumma de immunita. Eccle. dixit tutius & deuotius eſſe dicere, quod cõfugiens ad corpus Chriſti gaudeat immunitate, ea ratione quia corpus Chriſti longè dignius eſt quàm Eccleſia materialis: idem tenet Ant. Gom. de de-

 lictis

lictis, in c. 10. & speculum princi. in ru. 2. de propositione grauami num. §. sed quia, nu. 29. Itē quia si Ecclesia vt notum est priuilegium hoc habet propter Christum, fortiori ratione & corpus ipsum Christi hoc priuilegio gaudere debet. Item & alia euidenti ratione, nam si statuæ domini tēporalis iure communi gaudent hoc priuilegio, institu. de his qui sunt sui vel alieni iuris. §. hoc tempore, & facit. l. præsenti. C. qui ad Eccle. confu. ergo multo magis debet hoc priuilegium habere verum corpus Christi, arg. de hære. c. vergentis, cum habet grauius esse crimen æternam magestatem lædere quā temporalem: & hanc opinionem multis rationibus sequuntur Abb. & alij in c. sanè, de celebr. Missa. tenet etiam Archid. in cap. quæsitum. 13. q. 2. & in c. ad eius. 5. dist. vbi se remittit ad notata in d. c. quæsitū, tenuit etiam Io. Faber. in. l. 1. C. de his qui ad Ecclesi. confug. & secundū Marian. Socin. in tract. de citatio. arg. 17. col. pe. ista opinio est magis æqua, catholica, & laudanda, & late eam tenet Remig. in tract. de immun. Eccle. fo. 82. versic. secunda opinio est, vbi refert Henric. Boick dicentem in d. cap. sanè. quod si qui sunt magistri qui opinionem contrariam teneant non vult stare eorum interpretationi. Nec obstat secundum eum illud vulgare, quod priuilegium non debet extendi. c. sanè, de priuile. quia secus est in casu isto in quo priuilegium non datur Ecclesiæ propter ipsam, sed propter Deum ipsum & in honorem ipsius Dei. Cum igitur maior debeatur honor creatori quàm creaturæ, igitur, &c. Hanc etiam opinionem tenet Bartol. Socin. in. l. plerinq; nu. 65. de in ius voc. respondendo ad aliud argumentum quod pro parte contraria fieri solet, vi-
18 delicet quod corpus Christi est cibus animæ, c. non iste panis. de consecra. dist. 1. ideo animas tantum debet liberare: Ecclesia verò tendit ad res corporales defendendas. capit. si quis obiecerit. 1. quæst. 3. & ideò non mirum si liberat etiam corpus, & ad se fugientes defendat, dict. l. præsenti, cum alijs, quia vt ille ait, licet cibus animæ sit, cum tamen verè corpus Christi sit, ideo in saluatione corporum corporali præferendum est Ecclesiæ. capit. Iulianus. 11. quæst. 3. Hanc etiam opinionem dicit communem Ludouicus Gomes in. §. pœnales, num. 50. de actionib. quem refert Coua. Ruui. lib. 1. resolutio. c. 20. num. 6. licet ille eam opinionem putet dubiam hac sola ratione quod nullibi legitur datam fuisse hanc immunitatem nisi Ecclesijs. Cum

itaq; hæc ſit communis opinio,
vera, iuſta & ſancta, videtur quòd
idem eſt dicendum in propoſita
quæſtione quando condemna-
tus ad mortem ſanctiſſimum cor
pus Chriſti recepit vt ſit immu-
nitate gaudeat, qua gauderet ſi
ad idem ſanctiſſimũ Chriſti cor-
19 pus confugeret. Sed audacter fir
mandum eſt, cum non liberari
propter huius ſanctiſſimi corpo
ris ſuſceptionem: iſta fuit opinio
glo. in d. c. quæſitum, quam ſe-
quútur doctores in d. c. ſane, poſt
Hoſti. in dicta ſumma, & per glo.
prag. ſanctio. de interd. in diffe.
no. ponend. fo. 186. & in tit. quo-
modo diuina officia ſint celebrã
da, ver. inclinent fol. 161. & per
Iacobum de Bellouiſo in ſua pra
cti. titu. de fuga reor. Imol. in Cle
ment. 1. de pœnit. nume. 9. & ſe-
quitur Remig. vbi ſupra fol. 81.
Nec eſt par ratio in eo qui ſan-
ctiſſimum corpus Chriſti, acce-
pit, & in eo qui ad illud confu-
git, ſecundum Abb. in d. c. ſane,
quia ſumens corpus Domini ca-
ptiuus illud recipit, non ideo ca-
ptiuus dimittitur, & qui confu-
git cum ſit liberatus & liber aufu
git, debet ob reuerentiam corpo
ris Domini in libertate conſerua
ri, quæ verba declarari poſſunt
ex reſolutione huius argumenti.
Nam qui cum in vinculis detine
tur, & ſanctiſſimũ corpus Domi-
ni ſuſcipit, in eo eadem par ratio
videtur quæ in illo qui in illo qui
captus ducitur per Eccleſiam aut
eius cimiterium, vterq; enim ca-
ptiuus eſt cum peruenerit in lo-
cum in quem ſi liber ad illum cõ
20 fugeret liberaretur, ſed iſte * talis
ſic captus, & per Eccleſiã ductus
non liberatur, vt firmat Archid.
in d. c. ſicut antiquitus. 17. q. 4. cõ
ſuluit Oldra. conſilio. 54. ſequi-
tur Hippol. in pract. cri. §. vlte-
rius, nu. 4. idem Soci. in. l. pleriq;
num. 67. de in ius voc. & ita iudi-
catum fuit in ſenatu me Iudice,
& tenet latè Remig. de immun.
Eccl. fall. 30. & tenet Cou. Ruui.
lib. 2. reſolut. c. 20. num. 13. Ergo
nec liberabitur is qui cum in car
ceratus eſſet recepit corpus ſan-
ctiſſimum Chriſti. Ratio eſt ſe-
cundum doctores, quia tunc nõ
priuatur iſte propria libertate
quandoquidem per incarcera-
tionem loco, & tempore debi-
to factam illam amiſit. Iura au-
tem tribuentiam immunitatem
his qui ad Eccleſiam aut ſan-
ctiſſimum corpus Domini con-
fugiunt, loquuntur in his qui
in ſua libertate exiſtunt, & cum
ad eam liberè confugiunt. Pro
hac etiam opinione allegatur
tex. in argumentum, cum ibi
nota. in. l. ſi quis poſt hanc. C.
de ædific. priuat. inquit enim,
quod licet prohibeatur de ciui-
tate ad rura transferre marmora
quæ ciuitatẽ ornãt, tamẽ de vna

possessione ad aliam translatio fieri potest licet per muros ciuitatis aut mediam ciuitatem trásferantur, quem text. ad hoc citat Archid. in d. capit. sicut, 17. quæst. 4. Palat. in Rubri. de donatio. §. 38. num. 4. Sunt etiam & aliè rationes quæ hanc tuentur opinionem veram, ne recipiens corpus Domini sanctissimum, non ob id liberetur à pœna mortis. Neque erit hoc loco omittendum illud quod Hostien. dixit in summa, de immunita. ecclesi. colum. 3. versic. cum ecclesia, quòd licet non liberetur, tamen per tres aut quatuor dies debet immúnitate gaudere & sententiæ executio differri. Ego tamen nimis dubitarem de hoc, quoniam sufficeret ob reuerentiam sanctissimi sacramenti vsq; in sequentem diem differre executionem, vt sentit Hippol. in pract. crim. in. §. opportunè nu. 30. & hoc etiam dummodo indecentiam contingere arbitremur si eodem die quo recipitur corpus Domini is qui recepit supplicium patiatur, vt supra dictũ fuit, aliàs sufficit quòd differatur executio in sequentem diem, vt dixi, imò sufficit vsq; ad meridiẽ illius diei differre si summo mane præstetur hoc sacramentum condemnatis eodem die morituris, vt supra dictum fuit, & ita iã semel seruatum vidi in senatu.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum damnatis ad mortem sit præstanda sacra vnctio.

SVMMÆ.

1 *Sacramentum vnctionis non confertur nisi adultis infirmis.*

2 *Sacramentum vnctionis nõ est præstandum condemnatis ad mortem: & ibi ratio assignatur.*

VTrum autem his damnatis ad mortem sit præstandum sacramentum sacræ vnctionis disputare necesse non arbitror. Sed decisiuè loquẽdo, illud
1 non esse præstandum dico, secundũ S. Thomã & alios theologos in. 4. sententiarum dist. 23. q. 2. artic. 2. Dicũt enim sacram vnctionem præstandam non esse nisi adultis infirmis in periculo mortis constitutis, ex ipsa infirmitate vel senectute. Vnde inferunt, quod neq; pugnaturis, neq; nauigaturis, neq; interficiendis dari debeat, quia non imminet eis mors ex defectu naturæ, sed euẽtu fortunæ. Et huius opinionis fuit Archiep. Florenti. in. 3. par. in tit. de extrema vnctione. §. 6. & Titelmannus de. 7. sacramẽtis, c. 7. Syluest. in verbo vncti. q. 5. Io. Imo. in Clem. 1. de pœnit. dicit se vidisse de facto dubitare, & negotium hoc indecisum reliquit. Idẽ Imol. in Clem. 1. de priuileg. hãc partem tenere videtur, cũ asserat solum

ſolum infirmis præſtandam eſſe ſacrá vnctionem. Quod ſic etiá dicendum videtur ex verbis Iacobi Apoſto. in epiſtolis cap. 2. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, qui orent ſuper eum, vnguẽtes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum. Quę verba referunt à Gelaſio Papa in in cap. presbyteros. 95. diſt. vbi Archidiaco. hanc partem tenere
2 videtur. Ratio eſt, quia prædicta ſacra vnctio non ſolum fit ſuper oculos, & in naribus, & auribus, labijs, & manibus, ſed & in pedibus, vt traditur per doctores vbi ſupra, & per cano. in d. Clemen. 1. de priuileg. & in cap. 1. de ſacra vnctione. Vnde irreuerenter res ageretur, ſi pedes quibus condemnatus ire debet ad patibulum, oleo ſacro vngerentur. Nec mirum ſi his damnatis hoc ſacramentum denegetur, quando quidem ſecundum Thomam vbi ſupra, ſacramentum hoc non ſit neceſſitatis, licet ſi omittatur ex contemptu, damnabile ſit. Hanc etiam partem tenet Ioan. de Anania in cap. ad abolendam, num. 21. de hæreticis, per text. in cap. vno, de ſacra vnctione in princ. & per authoritatem Archidiaconi in loco ſupra citato, qui dicit ſe ita reſpondiſſe de facto. tenent Philippus Frá. & Dominicus in cap. ſuper eo, de hæreticis lib. 6. Bald. & alij relati per Michaelem in repertorio hæreticæ prauitatis, verbo ſacramentum, verſic. ſuperius dictum eſt. Eleganter Nicolaus Ploue in tractatu de ſacramentis. 5. par. cap. 1. num. 4. vbi latè de hoc ſacramento vnctionis agit. De alia verò ſacra vnctione quæ per ſe ſacramentum eſt, quando, ſcilicet Epiſcopus frontem baptizati oleo chriſmatis vngit, contrarium dicendum eſt, poterit enim hoc confirmationis ſacramentum condemnatis ad mortem præſtari, quia ceſſant rationes ſupra dictæ. Item, & quia iura indiſtinctè loquuntur, cum aiunt omnibus fidelibus præſtandum, cap. omnes fideles, diſt. 5. de quo latius dicam infra in quæſt. 3. in fin.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum ſanctũ baptiſma præſtari debeat cõdemnato ad mortem. Qui cum iudæus aut infidelis eſſet petiit poſt condemnationis ſententiam baptizari.

S V M M Æ.

1 *Neceſſariò debere baptizari infidelem etiam condemnatum ad mortem ſi petierit hoc ſacramẽtum ſibi conferri multis probatur.*

2 *Sacramentum baptiſmatis tollit om*

 nem

nem maculam & reatum peccati originalis.

3 *Condemnatus ad mortem si postea baptizetur, non ideo euadit pœnã iudicatam, quòd contra multos vere rius arbitramur, & num.4.*

5 *Qui fraudulenter petit baptisma vt euitet pœnam delicti, sine dubio non liberatur.*

7 *Adulterans ante baptisma etiam postea potest accusari.*

8 *Qualiter intelligatur illud quod per baptismatis susceptionem dicatur nouus homo.*

9 *Confirmationis sacramentũ debet præstari condemnatis ad mortem.*

10 *Declaratur text. in cap.2. de consecra. distin.5.*

ET sine dubio dicendum est, posse baptizari, iuxta illud verbũ Domini. In quacunq; hora ingemuerit peccator, & conuersus fuerit, vita viuet, & nõ morietur. Eze.33.c. facit tex. in c. nullus, de pœni. dis.7. Inquit namq;, quòd latro ille in cruce pendens tunc baptizatus est, qui tunc primum Christum cõfessus est. Pro hoc est tex. in c. sanctum, de consecra. dist.4. vbi dicitur, quòd nõ potest sanctum baptisma negari his, qui morte imminente petũt baptizari. Imminebat autẽ mors quibusdam ex narratione historiæ S. Augustini, quòd naufragiũ ceperat instare illis qui in naui

1 erant. Ita etiam dicendum est in casu nostro, vt condemnatus ad mortem, etsi iam mors illi imminet, possit baptizari si sanctum baptisma petierit, nec illi denegandum esse. Ad idem est text. sing. in cap. ad limina. 30. q. 1. in quo laudatur pater quidam, qui cum vidisset filium suum in extremis vitę constitutum, illũ baptizauit: assignaturq; ratio, quia hoc baptizandi opus, laicis fidelibus iuxta canonicam autoritatem: si necesse fuerit, facere liberè conceditur. Et subiungit hæc verba: vnde si supradictus genitor filiũ suũ corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntẽ dimitteret, sacri vnda baptismatis lauit, & eum de potestate autoris mortis & tenebrarũ eriperet, & in regnũ Christi iá regnaturũ sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur. Facit tex. in c. quod quidam, ibi, alicui pereunti necessitate cõpulsus baptisma dederit. 1. q. 1. versic. sicut autem. Pro hac opinione facit, quia maioris virtutis est, & maiorem effectum in se continet sanctum baptisma

2 quàm pœnitentia. Illud enim tollit nõ solum peccatum actuale, verum etiam originale, taliter quòd si incótinenti decederet baptizatus recta in cœlum volaret, ita quòd nec purgatorium sentiunt qui in fine baptizantur, vt inquit text. in capit. nullus expectet,

expectet, de pœnit. diſt. 7. tradit Abb. in c. 1. §. vna verò, nu. 3. de ſumma trin. Per ſacramētum autem pœnitentiæ ſeu confeſsionis remittuntur peccata, non reſpectu totius pœnæ, quia ſi quis non perficit pœnitentiam, patietur pœnam in purgatorio, in c. qualis. 25. diſt. habetur in glo. c. ſuper eo, de rapto. Si igitur his qui vltimo damnantur ſupplicio ſacramentum pœnitentiæ non negatur, & ſi qui ſunt, qui tale impediunt, eccleſiaſtica cenſura ſunt animaduertendi, iuxta tex. in Clemen. 1. de pœnit. ergo multò maiori ratione non negabitur his ſacramentum baptiſmatis, quod quidem illud potentius operatur ad ſalutem animæ. Et facit quod dixi ſupra in quæſt. 1. nu. 3. in fin. Nam ſicut ibi dixi ſacramentum Euchariſtiæ, licet non ſit omnino neceſſitatis ad ſalutem, ita vt ſine eo nō poſsit quis ſalutem conſequi in multis caſibus, licet vtiliſſimum ſit propter multiplicē effectum, qui ex eius receptione oritur, & tamen vt cōcluſum fuit, his non eſt denegandum, ne id quod proximo profuturum eſt euitemus, ita & maiori cum ratione, id dicendum videtur in ſacramento baptiſmatis, quod adeo neceſſarium eſt ad ſalutem, vt nullus ſit qui eam habere poſſit ſine ipſo baptiſmate, iuxta illud verbum Domini apud Ioannem cap. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, nō poteſt introire in regnum Dei. Habetur in cap. filius Dei, & in cap. firmiſſimè, & in c. non poteſt, de conſecrati. diſt. 4. Eſt itaq; cōcludendum, quòd iudæus, aut quiuis alius, qui chriſtianus non ſit, ſi condemnatur ad mortem, & ſanctum baptiſma petierit, non ſit illi denegandum.

3 Sed maximè ad propoſitum pertinet illud tractare, de quo nuper dubitatum fuit: vtrū is poſtquam condemnatus eſt, & baptizatur, liberetur à pœna mortis per ſuſceptionem ſancti baptiſmatis. In quo dubio nimis audacter reſpondet Tho. Ferra. in ſuis cautelis, cau. 24. vbi inquit, quod iudæus qui homicidium commiſit aut furtum, ſi mortem euadere vult, efficiatur chriſtianus. Tanta enim eſt vis ſacramenti baptiſmatis, vt non ſolum per illud tollatur omnis macula quoad forum animæ, ſed & omnis pœna temporalis. Pro qua opinione videtur tex. iuncta glo. in cap. ſine pœnitentia, de conſec. diſt. 4. Inquit enim tex. quòd gratia Dei in baptiſmate non requirit gemitum neq; planctum, vel opus aliquod, ſed ſolam fidem, & omnia gratis condonat. Et per illum tex. clarè hoc firmat glo. in c. quod autem, in glo. fin. 32. q. 1.

 vbi

vbi ait quòd non posit vxor accusari à viro de adulterio commisso ante baptisma. Pro hac etiã sententia solet alegari glo. 50. distin. in cap. si quis viduam, dicẽs quòd si aliquis homicidium facto aut consilio, aut præcepto perpetrauerit antequam christianus esset, & postea baptizetur, clericus esse poterit. Nam si hominem occiderit peccando, tollitur per baptismum postea susceptum irregularitas ex eo facto nata. Quam glo. ad prædictam cõclusionem allegauit inter alia Felin. in cap. de his, num. 7. de accusati. Et hanc conclusionem dicit Tho. in dict. cautela tenuisse Calder. Anto. de Butr. Imol. Fel. in cap. de his, de accusa. cum quibus dicit trãsire Io. de Ana. Hãc etiam dicit tenere Archidia. in summa. 50. dist. alias est in summa. 49. dist. Hanc etiam opinionem ipse dicit tenere S. Tho. in. 3. quæst. 68. art. 5. & quæst. 69. articu. 2. & plures Theologi in. 4. dist. 4. Inquit enim, quòd licet aliqui eorum loqui videantur in pœna satisfactoria culpæ, puta in ieiunio, disciplinis, & similibus pœnis, tamẽ S. Thom. in. 4. dist. 4. quæst. 2. art. 1. loquitur in pœna imponenda ab homine, dicẽs quòd principes in tali casu piè faciũt indulgere pœnas. Hanc opinionẽ dicit etiam tenere Archi. Floren. in. 3. part. suæ summæ in Rub. de baptismo, & tradit prædictus Tho. Fer. ita Paduæ fuisse obtentũ in quodam iudæo, multis doctorib. pro eo consulentibus, inter quos fuit Car. Ruin. Facit etiam quod tradit S. Tho. in. 3. par. summæ, quæst. 68. artic. 5. Inquit enim, quòd peccatoribus baptizatis iniungendũ est, quod satisfaciant proximis, sicut & quod desistant à peccatis. Non autem est eis iniungendũ, quod pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur. Et facit etiam pro hac opinione, quia per baptisma efficitur baptizatus nouus homo. c. 1. dist. 26. taliter quòd quidquid ab illo dictum, factum aut cogitatum sit, aboletur per baptisma, cap. 2. de consecr. dist. 4. Ille igitur, qui cũ olim pagnus esset, crimen commiserit, & postea baptizetur, si nunc accusetur, non quidem ille ipse criminosus castigari videtur, sed alius nouus homo, quod fieri non potest, arg. l. sancimus. C. de pœnis.

4 Sed parcat Thom. Ferratius, parcant & alij, si qui sunt qui opinionem prædictam tenent, quia nec iure eam esse verã arbitror, nec communis doctorum opinio (quam in iudicando & consulendo sequi tenemur) eam tenet, imò totũ oppositum. Non enim sanctum baptisma liberat criminosum à pœna temporali delicti commissi, antequã Christianus

stianus esset,quia inferretur præiudicium Reipublicæ,vel priuatæ personæ, cui iam ex delicto commisso ius quæsitum esset, vt inquit Innoc.in cap. gaudemus, de diuortijs, post glo. ibi, licet enim multos effectus baptisma operetur,iuxta nota.in cap. maiores, de baptismo,& per Syluestrũ in verbo baptisma, in.6. in prin.illi omnes concernunt animam baptizati, ad tollendã omnem maculam & pœnam peccati,non verò temporalem pœnã, prout affirmant doctores post glo.in d.cap.gaudemus concludentes,posse puniri eum nouiter baptizatum de crimine ante cõmisso. Simile est quod habetur in cap. iudæi,in.2.§. fi. de iudeis, in glo.pœn.& cap.iudæi, de consecra.dist.4.quòd iudæus qui efficitur Christianus,tenetur ad restitutionem vsurarum, quas ante baptisma extorsit. Ergo idem videtur dicendũ in furto, & alijs illicitè acquisitis. Et hoc fundamento cum alijs, quæ referre nõ curo,vtitur eximius doctor Philip.Deci. in consil.130. qui pulchrè istam opinionem sustinet, dicendo eam esse communem, quia eam tenuerunt Innoc. Anto.de But.Abbas & alij in d. cap. gaudemus,& in cap.de his,de ac
5 cusat. Est tamen aduertendum, quòd idem Dec.absque vlla dubitatione opinionem veram arbitratur in his casibus,in quibus constaret,hunc nouiter baptizatum in fraudem pœnæ sanctum babtisma suscepisse. Et ponit inter alia hæc duo exempla, quorum alterum est,si non multo tēpore post delictum commissum baptizatus fuit.Nam ex hoc præsumptio fraudis insurgit, argu. text.in.l. si ventri.§. eorum.ff.de priuileg.credi.& faciunt not. in.l.post. contractum.ff. de donatio. Alterum est, si fuit baptizatus ex abrupto non seruato termino.40.dierum, qui constitui solet iudæis volentibus se baptizare, iuxta cap.ne quod absit,de consecra.dist.4.& olim erat constitutus terminus octo mensium, vt habetur in cap.iudæi,de consecra.ea. dist. notat Abb. in cap. debitum,de baptismo.Dixit autem ad hoc aduertendũ eo,quòd ex his à fortiori arguendum puto ad casum nostrũ.Nam si fraus præsumitur ante accusationem, & per consequens susceptio baptismatis criminoso patrocinari non potest ad tollendam pœnã temporalem,cur non multo maiori ratione non patrocinabitur ei, qui post accusationem, imò & post sententiam condemnatoriam efficitur Christianus? Certè nemo est qui non videat, per supra dicta præsumendum esse sanctum baptisma in fraudem pœnæ fuisse susceptum, argu.etiam

notatorum per Bart. in.l.1.ff. de pœnis.

6 Eſt & aliud exemplum vltra Decium,ſi cõtigerit caſus, quòd ſarracenus aut iudæus delictum aliquod intendens committere, comminatus fuerit ſe illud factu rum hac ſpe. vt Chriſtianus fiat ad euadendam mortis pœnam, nam ex tali comminatione præſumitur fraus. Simile eſt quod tradit Alexã. in.l.ſi quis poſthumos.2.col.ff.de lib.& poſthu. dicens ex mente Ang. & aliorum, quòd licet matrimonium celebratũ in articulo mortis, ſic prolem efficiat legitimam,vt excludat ſubſtitutum vocatum in caſum,quo moriens legitimam ſobolem non habuerit, tamen ſi is comminatus ſit ſæpe ſubſtituto, quod eum erat excluſurus, tunc illud matrimonium in fraudem præſumitur celebratum, & ideò non operabitur excluſionẽ ſubſtituti,arg.cap.2.de renuntiatio. lib.6. Sic etiam qne dubio fraus intelligeretur eo caſu,quo is qui nondum Chriſtianus factus delictum perpetraret,prius facta cõminatione de baptiſmate ſuſcipiendo. Ego autem non ſolum in his caſibus,verum etiàm & in alijs in quibus nulla fraus criminoſi interueniret, conſtanter teneo,quod baptizatus nõ euadet pœnam delicti, & hæc videtur eſſe communis opinio fundata bonis rationibus.Et ex his dicendum eſt, quod licet prima opinio æquior videatur domino Abb.in cap.de his nu.5.de accuſat.tamen in prædictis caſibus, nullo modo eam tenendam eſſe puto, quandoquidẽ idem Abb. ait, dummodo baptiſma recipiatur ſine ſimulatione, alias enim quilibet iudæus de facili poſt cõdemnationem diceret ſe velle effici chriſtianum, vt pœnam euitaret, vt inquit Abb.in.d.c.gaudemus. Nec obſtant ſuperius allegata in contrariũ per Tho. Ferra.Nam glo.in.d.cap.ſine pœnitentia, loquitur in pœna ſatisfactoria,quoad forum animæ:quæ quidem omnino aboletur per baptiſma, vt ex iuribus ſup. dictis conſtat:& ita loquitur S.Tho.in. 3.quæſt.60.art.5.Et cum dicit in famiã deleri per baptiſma, nõ mirũ, quia infamia peccati ſequela eſt peccati:&ideò cũ tollatur peccatũ, debet & ſequela peccati tolli: & ita declarant omnes in.d.c. gaudemus,poſt Archid.ibi. Nec obſtat glo. in. d. c. quod autem 32.quæſt.1.quia loquitur in adulterio ante baptiſma commiſſo.

7 Nam licet videatur dicere,quòd non poſſit maritus vxorem accuſare de adulterio ante baptiſma commiſſo, tamen veritas eſt ſecundum eoſdem poſt glo. in.d. cap.gaudemus,quòd tam accuſatio, quam exceptio marito competit

petit de tali adulterio ante commisso, vt sentit Præposi. Alexan. post alios in d. cap. gaudemus. Nec quidquam obstat alia glo. d. cap. si quis viduam, quæ loquitur in irregularitate ob omicidium, vel quodlibet aliud delictũ, quia vt dictum est, sicut peccatum aboletur per baptisma ita & irregularitas cuius peccatum illud causa fuit. Sat sit quod glo. prædictæ nihil obstant. Quòd si obessent tenendæ non essent, eo quod communis doctorum opinio in contrarium videtur esse, vt firmat Deci. vbi supra, & Io. de Ana. in cap. de his num. 6. de accusatio. Et ista est intentio Felin. ibi. nu. 7. Nec fuit contrariæ opinionis Archi. in summa. 49. dist. vt malè putat Tho. Ferra. quia Archidi. retulit se ad not. per eũ in d. cap. quod autem, vbi hanc opinionem tenere videtur. Nec dicta per S. Thomam huic opinionem communi repugnant, quandoquidem ille ait, piè facere principes si pœnas his nunc baptizatis indulgent de delictis ante baptisma commissis: quia non negat ille contrarium fieri posse iustitia exigente. Et malè refertur Archiep. Florent. in. 3. parte suæ summæ in tit. de baptismate, per Tho. Ferra. qui firmat eum tenuisse contra istam opinionem, quoniam, vt intuenti constabit, ille etiam est huius communis opinionis. Inquit enim, quòd licet per baptisma remittatur tã culpa mortalis, quã originalis & venialis, & remittatur pœna æterna & temporalis omnis debita in iudicio Dei. d. cap. sine pœnitentia, non tamen remittitur debita in iudicio hominum, quia non tollit mortis pœnam pro maleficio commis-
8 so. Hæc sunt verba Archiepiscopi. Nec obstat argumentũ illud, quod nouus homo iam dicitur, cum ex pagano christianus efficitur, quia illud respectiuè dicitur ad peccata: nam cum generaliter qui peccatum facit seruus sit peccati, iuxta illud Ioan. cap. 8. non ideò si exit à peccato alius homo efficitur, sed idem est liberatus à peccato, taliter quòd illa eadem est anima huius olim peccatoris nunc in gratiam redeuntis. Itaque illud dicitur quoad forum animæ non quoad pœnam temporalem. Nam sic videmus, quòd seruus commitens delictũ, licet ab illa seruitute liberetur per manumissioné & nouus homo intelligatur, vt dicit. l. qui res. §. aream, de solutio. l. si seruus legatus. ff. de adim. legatis, puniri tamen debet de tali delicto commisso, iuxta. l. licet seruitutis. C. an seruus ex suo facto, & in. §. omnis. Insti. de noxal. Nec obstant dicta sancti Thomæ in. 3. quæst. 69. artic. 2. ad quæ male aduertit Thom.

Tho. Ferra. quia ibi expresse opinionem istam tenet. Nam dicit, quòd licet homicida per baptisma liberetur à reatu pœnæ quoad Deũ, remanet tamẽ obligatus adhuc quoad homines, quos iustum est ædificari de pœna sicut sunt scandalizati de culpa, piè tamen talibus posset princeps pœnam indulgere.

9 Sacramentum autem confirmationis, quod & chrisma dicitur (& ab Episcopo solo confertur, cap. nouissimè, cap. presbiteri, de consecratio. dist. 5.) nulli dubium quin & his damnatis dari possit, illud enim confertur omnibus baptizatis, cap. omnes fideles, de consecrat. dist. 5. facit tex. sing. in cap. 2. ead. dist. item quia per tale sacramentum præstatur ab Spiritu sancto augmẽtum ad gratiam, vt dicitur in tex. in cap. 2. ead. dist. de consecrati. Sed ne impediatur via proximis adipiscend, hoc bonum videtur, quod sacramentũ istud his negari non debet, iuxta not. supra in. 1. q. nu. 4. & quod infirmi aut morientes possint & debeant confirmari tenuit Archiep. Floren. in sua summa cap. de confirmatione. §. 5. facit text. in cap. vt ieiuni, de consecrat. dist. 5. vbi inquit tex. quòd christianus esse non videtur nisi in confirmatione Episcopali fuerit chrismatus, & licet ille textus intelligatur per Archiepiscopũ Floren. in titulo de confirmatione. §. 1. dummodo christianus ille potuerit & neglexerit chrismari, quia secundum thęologos, sacramentum hoc nõ est omnino nec semper necessitatis ad salutem, vt latè per Cou. Ruui. lib. 1. resolut. c. 10. nu. 5. post Thom. in. 3. par. quæst. 72. art. 8. & quęst. 65. artic. vltimo, & in. 4. dist. 7. q. 1. artic. 1. nisi eo casu quo christianus illud recipi negligat, tamen sat est vt argumentum procedat, quòd constitutus in periculo vitæ, vt quia mors iamiam immineat, tenetur confirmationis sacramẽtum petere. Et exemplum posuit Archiepiscopus in eo qui bellum mortale intrare parat, & non confirmatur. Vnde videtur quòd is qui damnatus est ad mortem, cum iamiam illa immineat, si istud sacramentum petat, illi negare non debeat.

10 Nimis tamen obstare videtur text. in cap. 2. de consecra. dist. 5. qui text. postquam dixerat quòd Spiritus sanctus in baptismate plenitudinem tribuit ad innocẽtiam, & in confirmatione augmẽtum ad gratiam præstat, subiungit talia verba: Et quia in hoc mũdo tota ætate victuris inter inuisibiles hoste & pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: In baptismo abluimur, post baptismũ robora-

roboramur. Et quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamé necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace baptismi, vel sæculi recipiédos. Confirmatio instruit & armat ad agones mundi huius & prælia reseruádos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculati peruenerint ad mortem confirmantur morte: quia iam non possunt peccare post mortem. Hic est igitur tex. qui clare dicere videtur, ꝙ sacramentum istud confirmationis, non detur nisi victuris: non autem ijs qui statim de hoc sæculo recessuri sunt: quia sacramentum hoc institutum fuit ad agones & prælia huius mundi: quæ ratio non militat in his damnatis ad mortem, qui statim è vita sunt recessuri. Reperio quòd idé Archiep. Florent. in. §. 5. sentiens hanc difficultatem, quando dixit illud sacramentum præstandum infirmis & morientibus, respondet ad illum tex. tacitè illum non allegans, quòd licet illud detur contra hostes mundi, tamen in morte ipsa iamiam imminenti, imminet etiam pugna inuisibilis contra hostem. Et ideò quamuis contra talem pugná non sit principaliter instituta confirmatio, expedit nihilominus, vt morientes adnumerentur militiæ Christi, & inde magis nobilitentur ex tali signo. Fit enim tale sacraméntum per signum crucis. Aliter etiá respondet sanctus Thomas in. 3. quæst. 72. artic. 8. fatendo, quòd sacramentum hoc non est necessarium morituris propter periculum pugne præsentes, quasi sentiens quod cum illa in breui finiri debeat, non est tali pugnæ æquè necessarium sicut victuris, qui naturaliter eam esse longam expectant: & ideò non negat, quòd etiam morituris detur. Puto etiam quòd ea quoq; ratio ne expedit morituris hoc sacramentum præstari, quia licet in breui recessuri sunt, forti tamen admodum pugna asseritur per catholicos, quòd cacodæmones armantur in illa hora contra militem christianum, vt illum auertant à via salutis, vt tradit Nauar. in cap. si quis autem, versi. fin. nu. 25. de pœni. dist. 7. Nimirum igitur si hoc confirmationis sacramentum vtilissimum sit his omnibus morituris, & ideo præstandum sit his damnatis ad morté.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum condemnatus ad mortem possit matrimonium contrahere.

SVMMÆ.

1 *Damnatus ad mortem an possit matrimonium contrahere, multis probatur*

batur & latè discutitur.

2 *Filij ante habiti legitimantur, si pater etiam constitutus in articulo mortis matrimonium cõtrahat. contra Bal. & alios.*

3 *Constitutus in extremis potest contrahere libertatẽ relinquere, & alia omnia facere, quæ sanus posset.*

4 *Resoluitur non contemnenda difficultas, quæ aduersabatur propositæ quæstioni.*

5 *In extremis positus testari nõ potest si articulatè loqui nõ valeat, ita vt vel intumescenti lingua vel alias nõ possit intelligi.*

6 *Matrimonium signis contractum etiam in valentibus loqui, valet: quidquid Inno. & alij antiquiores repugnent.*

7 *Damnatũ ad mortẽ (si mortis cogitatione turbatus omnino sensu careat) non posse matrimonium contrahere certissimum est.*

8 *Damnatus ad mortem vtrum liberetur à pœna si meretricem ducat in vxorem, latè examinatur ad intellectum. c. inter opera, de sponsal.*

9 *Enumerantur nonnulla commoda ex multis, quæ proueniunt si meretrix ab errore & peccato publico auferratur.*

10 *Grauiter errant, qui putant omnium peccatorum remißionem concedi illis qui meretrices ducunt in vxores.*

11 *Intellectus ad l. iuxta. ff. de manumiss. vindicta.*

1 Vtrum autem matrimoniũ contrahere possit is qui ad mortem condemnatus est, forsan quia prolem ex concubina receptam legitimare vult, aut quia potius in matrimonio quàm in concubinatu decedere cupit, aut ob aliam causam velit matrimonium contrahere, dicendum videtur quòd possit. Nam vide-
2 mus * quod constitutus in articulo mortis matrimonium contrahere potest, & proles antea habita legitimatur, vt notatur in cap. tanta, qui filij sint legit. contra Bald. in l. eam quam, colum. 6. in principio. C. de fideicommiss. & Ricard. Malum. qui contra tenebant ea ratione, quia illo tempore iam neque instrumenta dotalia, nec dotis institutio interuenire poterant, quæ quidem requiruntur ad prolis legitimationem. Et quamquam communis sit opinio contra illos, secundum Ias. in. l. sed & quæsitum. ff. de liber. & posthu. quia eorum rationes vrgebant solum de iure ciuili non verò iure canonico inspecto cui standum esse in hac materia omnes norunt, tamen & ille & omnes alij fatentur, quod ad essentiam ipsius matrimonij & substantiam eiusdem bene tenet matrimonium celebratum per eum qui iam existit in articulo mortis dummodo cõsensus adsit. Vnde non mirãdum si te-

si teneamus hunc iamiam moriturum, eo quòd statim ducẽdos est ad patibulum, posse matrimonium cõtrahere facit text. & quæ notat Cinus in.l.nuper.C. de natura liber.qui quãuis sub dubio relinquat casum quo aliquis sobolem non haberet ex ea quam nunc in vxorem ducere vult, tamen & insto casu matrimonium tenębit, ea potissimum ratione, quia licet mortis cogitatione humana fragilitas turbetur, vt inquit Imp. in. l. hac consultissima. C. de testamen. non tamen ob id moriturus sic sensu penitus caret, vt in eo sensus non adsit, aliàs enim sequeretur, quòd nec alia sacramenta recipere posset, quod falsum est ex dictis superius, Cum igitur iste consensum habeat quo solo matrimonium perficitur, iuxta no. in cap. cum locum, cum similib. de spon sal.l.nuptias.ff. de reg. iur. Igitur & matrimonium contrahere poterit, Quam opinionem etiam tenet Abb. in cap.commissum.nu. 3. de sponsal. vbi hoc firmat. Pro
3 hac opinione * bene facit tex. in. l.Seya.§. cum pater.ff. de donat. causa mort.ex quo text. constat, quòd constitutus in extremis vitæ contractum celebrare potest: de quo per Ias.in.l. si mihi & tibi.§.si quis seruos, post prin.ff.de leg. 1. Facit etiam quia cum fideicommissaria libertas à sola voluntate manumittentis pendeat, iuxta.l.generaliter.§.si petitum, ibi: non tantum ei verba, sed & mens testatoris tribuere solet libertatem.ff. de fideicomm. lib.ille qui in extremis vitæ positus est, libertatem relinquere potest, vt inquit text.in. l. si pater.§.quædam.ff.eod. Et idem est in testatore, qui etiam si sit in discrimine vitæ constitutus, poterit testamentum facere, vt est text. opt. in. l. Pamphilo. §. propositum.ff.de leg.3. Ad idem est tex. in cap.fin. de successio. ab intesta. vbi agens in extremis testamentum condidit, & præsumitur eum sanæ & integræ mentis fuisse, nisi contrarium probetur, secundum Abba.num.9.post alios. Vnde cum sit verum, quod tam in actibus inter viuos, quàm in vltimis voluntatibus requirentibus voluntatem & consensum disponentis, potest actus ille fieri per constitutum in extremis, poterit & matrimonium celebrari per damnatum ad mortem, licet iam in extremis videatur positus.

4 Difficultas tamen non parua oritur contra istam conclusionem ex his, quæ vltra Ias.in d.§.si quis seruos, adducit Guilhelm. in cap.Rainutius, in verb. in extremis positus num.17. cum ait, quòd laborans in extremis dicitur animi consilium nõ habere: nam

nam tunc memoria mortis turbato animo totus languet intellectus arg.l. hac consultissima.§.at cum humana. C. qui testa. fac. possunt,& allegat Bald.in.l.fi.§.1. C.de bonis quæ liber. dicentem, quòd quilibet in vltimo vitæ spiritu efficitur mutus. Item & vltra illum asseritur per omnes, quòd isti damnati eo ipso quòd ducuntur ad supplicium quasi amentes & insani efficiuntur. Et nostris temporibus fertur quendam nobilem Lusitanum apud Gallos condemnatum fuisse ad mortem,qui cum iam iter ad supplicium faceret liberatus fuit per indulgentiam Regis, & postea amicis interrogatibus de hac re respondit, se prorsus sensu & intellectu caruisse ab illa hora, qua cœpit ad supplicium duci. Cum igitur iste damnatus furioso & dementi æquiparetur, ex supradictis videtur, quòd matrimonium contrahere non possit, iuxta textum in capit. neque furiosus. 32.quæst.7. quia consensum non habent. Sed aduertendum est, quòd ex ea resolutione Guillielmi, quam facit circa confectionem testamenti, & eius validitatem, quando illud fit per eum, qui in extremis iam positus est, non possumus, & nos in præsenti conclusionem prædictam circa matrimonij contractum declarare. Voluit enim

5 Bart. quem sequitur Guillielmus num.27. in.l. iubemus, C. de testamen. quòd licet verum sit, vt quis in extremis positus testari possit,non tamen poterit,si adeo iam in extremis est, vt non possit articulatè loqui, quia tunc mortuo similis est, iuxta textum in d. l. iubemus, si prius fuerat expeditæ linguæ: & ita dicit in facto semel practicasse. Nam lingua etiam tumenti propter infirmitatem, non tamen omnino perpedita, potest quis facere testamentum, per tex. sing. in.l. quoniam indignum.C. de testamen. ibi, quæ fortè seminecis,& balbutiens lingua profudit. Si verò lingua tantum intumescit, quòd quis articulatè loqui non potest, tunc non valet testamentum,per d.l.iubemus.C.de testa. Quod ille ait verum esse, si tantũ testator sit balbutiens vt quasi non intelligeretur: tunc enim non valeret,nisi esset testamentũ inter liberos, quia tunc sufficit quibuscunq; indicijs, iuxta.l.fin. C.fami. hercisc.Hoc autem non sic simpliciter intelligẽdum esse puto,sed dicendum est, quòd licet testamentum inter liberos validum sit, non obstante defectu solemnitatis, iuxta.l.hac consultissima.§.hoc inter liberos. C. de testa.tamen non valet ex defectu voluntatis,vt ibi dicitur. Vnde est quod regula.d.l. iubemus,

quæ

quæ habet non posse quem testari nutu, aut signis, sed vocis expresione, aut per solemnem scripturam, vt late Ias. ibi num. 4. declarat, procedit etiam inter liberos, inter quos nutu testamẽtũm fieri non potest, vt firmat Ang. in. l. in fraudem. §. 1. de test. mili. per glo. ibi, quæ ait non posse militem facere testamentum, neq; hæredis institutionem sine verbis. Et fuit de mente Bal. Fulgo. Pau. & aliorum in d. l. iubemus, & Bal. & Pau. in. l. & in epistola. C. de fideicommiss. Et dicit Alexan. in. l. discretis fi. colum. C. qui test. face. poss. quòd non esset tutum ab hac opinione discedere. Vnde narratur euenisse Perusij in quodam testatore patre cuiusdam Episcopi, cui Episcopus dixit. Si vis me hæredem instituere stringe mihi manum, & ita fecit, & fuit iudicatum quod tale testamentum non valeret, secundum omnes modernos in d. l. iubemus, quos sequitur Ias. ibi. num. 4. In testamento autem ad pias causas mirandum est, quod magis illi fauor præstetur, quandoquidem communis habet opinio, quòd etiam nutu fieri posit per glos. in c. cum tibi, de testam. & tenent communiter omnes in d. c. cum tibi Alex. & Ias. in. d. l. iubemus.

Redeundo itaq; ad propositũ ideo dixi, non posse nos veram resolutionem habere ex his superius adductis quæ tangunt validitatem testamenti, aut nullitatem eius, quandoquidem in confectione testamentorum circa hæredis institutionem requirunt intra verba testatoris voluntatem suam declarãtia, per d. l. iubemus adeò quod verum sit, indicia sufficere inter liberos, dũmodo verba exprimãtur aliqua, per quæ licet nõ omnimodo expressa sint, tamen posit ex his voluntas per illa verba declarari, & ita procedit. l. fi. C. famil. hercis. Non verò vallet, si omnimodo verba cessant, & nutu hæredis nomen significet testator. Et sub his comprehendi possunt, vt existimo multa quæ latisime congerunt Doctores. in dict. l. iubemus, & in locis supradictis. Nos autem loquimur in cõtractu matrimonij, ad cuius validitatem, licet multi tenuerint, necessaria esse verba consensum exprimentia, in his videlicet, qui loqui possunt, vt habetur in c. cũ apud in c. tuæ, despõsa. 6 tamẽ veritas est, ꝙ etiã in his valentibus loqui sufficit consensum declarare signis, vt ex multis rationibus concludit Abb. in dicto. capit. tuæ, & voluit glos. in c. pe. eodem titulo. Et fuit etiam opinio Hostiens. quem sequuntur nouiores, vt firmat Abb. in dicto capit. tuæ, & eam tenet, & optimè declarat

Iaſ.in.l.ſi ſtipuler.§.ſi in locando.ff.de verbo.oblig.ea potiſsimum ratione, quia in contractibus qui ſolo conſenſu perficiuntur, vt eſt iſte per.c.ſufficiat.27.q.2.c.cum locum, de ſponſal. Si aliquis ad interrogationem reſpondeat, ſignis abſque verbis, vt puta annuendo capite contrahitur efficax obligatio, vt in d.§.ſi in locando, & in.l.item quia.ff.de pactis, & habetur per doctores in.l.1.§.ſi quis ità, de verbo. Vnde infert ille, quòd ſi maſculus dicit, accipio te in meam vxorem, & illa annuat capite perficitur matrimoniũ. Ita etiam tenet Theologi in.4.diſt.27.& iſta eſt commu.opinio.vt aſſerit Areti.conſ.13.Soci.Iunior, conſi.29.volu.2.& S.Thom.in.4.diſt.27.quæſt.1.artic.2.dicit, verba requiri ſignis tamen verba æquipollere: & ita ex multis tenet Cou. Ruui.2.par.de ſponſa.c.4.in prin. Et in hac materia exprimitur vnũ notabile verbũ per Syluest.in verb. matrimoniũ.in.2.in.7.q. Inquit enim, non obſtare text.in d.cap.tuæ cum ait verba requiri propter eccleſiam, quia ex ipſo text. cum ibi no.cõſtat.quòd per verba intelliguntur generaliter ſigna expreſsiua in quibus verba tenent principatum. Cum itaque matrimonium perfici poſsit nutu aut quibuſuis ſignis conſenſum declarantibus, iam ſequitur longam eſſe differentiam inter ipſum matrimonium, & teſtamenti factionem ad eorum validitatem, ſi fiat per eum qui in extremis iam poſitus eſt. Nam in teſtatore illud optime conſiderandum, quod ſupra deduxi, vt valeat eius teſtamentum, dummodo aliqualiter nomen hæredis a teſtatore verbis exprimatur, licet nimium difficulter illũ teſtes præſentes intelligant. At verò ſi matrimonium contrahatur per eũ, qui ſic in extremis laborat, vt iá loqui non valeat, ſi tamen per ſigna intelligat, & ſenſu non careat, certe valebit tale matrimonium. Vnde quamquam condemnatus ad mortem in extremis eſſe dicatur, & forſan mortis cogitatione ſic turbatus exiſtat, vt iam loquela careat, nihilominus tamen matrimonium contrahere poterit. Nec obſtabit ſi hunc condemnatum eadem mortis cogitatione, & terrore nimio iam ſurdum & mutum exiſtere quis putet, quia etiam tunc temporis ei non negabitur hoc Sacramentum matrimonij, quia mutis & ſurdis non ſolum hoc, ſed & alia Sacramẽta præſtabũtur, ſi talia ſint in quibus non verba ſed ſolum conſenſum iura requirunt. Vnde eſt ſecundum Ioan.Andream.in capit.cum apud, quod mutus, & ſurdus baptizari poteſt licet ipſe baptizare non poſsit.

Et

Et quoniam humana fragilitas sic terreri poterit mortis cogitatione detēta, vt omnino iste condemnatus sensu careat, tunc nulli dubium quin matrimoniū valere non possit ex dictis Bart. in.l.nutu.ff.de leg.3.& in.l.nutum.ff.de acquir.hæredi. Inquit enim dispositionem nutu factā tunc valere in casibus à iure permissis, dummodo is, qui nutu disponit intellectu non careat. Si enim caruisset, iam certum est dispositionē inualidam esse, & ideo putarem, in hac re summè præ oculis tenendum quod dixit Bald.in.d.l.hac consultissima, vt scilicet prædicta relinquātur arbitrio iudicis examinantis causam cum casus euenerit. Loquitur enim ibi de teste, qui iam in articulo mortis testimonium profert, vt recte attēdatur, si iam vacillet vel non arg.no.in.c.quoniam contra, de probatio. & per Bald.in.l.nullum. C.de testi. vbi ait, examinatori credendum esse circa vacillationē testis. Ex quo infertur quod in supradictis certa regula dari non potest. Nam adeo constans & animi integri esse potest is, qui ad mortem cōdemnatur, vt omnino sensum, intellectum, & alia sanæ mentis habeat, omnemque cōtractum gerere posit: alius autē sic mortis terrore turbatus, vt prorsus nihil eorum, quæ in eius præsentia agantur videat, & agnoscat: & hic talis nec matrimoniū, nec quemlibet alium actum, qui solo consensu perficitur facere poterit, eo quod sensu iam caret.

8 Nec ab re erit sub paucis tractare illud, quod à multis memoratur, vtrum is qui ad mortem condemnatus est, & forsan iam ad supplicium ducitur liberetur à pœna mortis si matrimonium contrahat cum meretrice. Et solet pro parte affirmatiua allegari text. in cap. inter opera, de sponsa. Ibi enim habetur, quòd ducens meretricem in vxorem opus meritorium fecisse creditur, quod ad remissionem suorum peccatorum proficit. Non enim minimum charitatis est opus errantem à sui erroris semita reuocare. Facit etiam quia is qui meretricem in vxorem ducit, potius laudandus quam culpandus est, vt inquit text. in cap. non est culpandus. 32. quæst. 1. exemplo Oseæ Prophetæ, qui meretricem nomine Gomer in vxorem duxit, vt abetur Oseæ cap. 1. Item & Salmon dux de tribu Iuda vxorem duxit Raab, quæ meretrix erat, vt dicitur Iosue. cap. 2. & 6. Et habetur in cap. integritas 32. quęst. & causa, & Matt. cap. 1. Si igitur in hoc fit actus laudabilis, & proficiens ad remissionem peccatorū, iam sequi videtur, quòd huic

condemnato ad mortem ob ſcelera & crimina ab eo commiſſa parcendum ſit ſi meretricem in vxorem ducat. Facit item quia ſecundum opinionem aliquorum baptiſma quod condemnatus ſuſceperit liberat eum à pœna, vt tenent multi relati per Thom. Ferra. in cautela.24. quē ſequitur Marcus Antonius Blancus in pract. criminali in fine in 1. cautela. Pro hac etiam parte conſiderandum eſt, quòd inter tria genera eleemoſinarum hoc vnum eſt, errantes, ſcilicet, à veritatis via, corrigere, vt inquit tex. in cap. tria ſunt. 45. diſt. ſed qui eleemoſinas facit, crimina ſua eleemoſinis redimere dicitur, quandoquidem ipſa eleemoſina peccatum extinguit, vt dicitur in cap. medicina, & in cap. ſequen. & in cap. miror, de pœnit. diſt. 1. meritò igitur dicēdum videtur, quod qui meretricem eduxit de lupanari eam in vxorem ducendo, & illam à via ſui erroris deuiando, dignus ſit, vt pœna ei remittatur. Quod ſi forſan quiſpiam dixerit, hoc argumentum procedere ſolum in foro animæ, vt infra dicam, videtur tamen illud adhuc vires habere ſi aduertamus ad multa bona quæ ex hoc matrimonio etiā in foro exteriori ſequūtur inſpectis iuris regulis, quæ mulierem luxurioſè viuentem improbant, & infamem vilem ac indignā reputant priuilegijs alijs mulieribus honeſtè viuentibus conceſſis. Mulier enim quæ meretrix eſt non gaudet priuilegio mulieribus conceſſo, vt non incarceretur pro debito ciuili, per text. vbi not. Bar. in Auth. vt nulli iudic. §. neceſſario & habetur in Authen. ſed nouo iure. C. de cuſto. reo. Bal. in. l. conſentaneum. C. quomodo & quando iudex, latè Hippo. in pract. cri. §. antequā. n. 66. & in. l. 1. de rap. vir. nu. 19. cū ſeq. ſi tamē iſta meretrix vxorata ſit iam illo priuilegio gaudet, ſecundum Bal. vbi ſupra, & Pala. in rep. cap. §. 21. nu. 23. tenuit etiam Io. Mileg. in ſua pract. fol. 30. nu. 11. & Hippol. vbi ſupra. Iaſ. in. l. plerique. nu. 35. ff. de in ius vo. & Ant. Gom. in legibus Tauri. l. 62. Et adeo eſt verū ſecundum illos, quod meretrix vxorata incarcerari nō poteſt. quod etiam ſi turpiter viuat, ſi modo nupta ſit, id locū habeat. Nā ſec. Ioā. And. in addit. ad Spec. in titu. de iniu. in rub. ſtatutum, loquēs in meretrice, nō habet locum in meretrice vxorata. Vnde eſt, quòd Manſue. tit. de pœn. verſi. item eſt præcipuè conſiderandum, ſequendo Bar. in. l. ſi vxor, in princ. de adulte. dicit, quòd ſi meretrix etiā publica fuerit vxorata, raptus illius venit criminaliter puniendus, quod alias nō eſſet ſaltem ad pœnam

nam mortis,iuxta no.per glo. & alios in.l.vna,de rapt.virg.vbi latè Hippol.nu.30.Et ideò iure regio mulieris omnes, quæ accusantur eo quod concubinæ clerici aut vxorati sint, excipere solent quod nuptæ sunt, & ob id nulli alij accusatio competit nisi maritis earum,iuxta ord.lib.5. titu.15.§. *E mandamos*.Et ita obseruat stylus & consuetudo regni. Verum est tamen quod lata est lex Eboræ anno.1553.in mense Maij,quæ non admittit hanc exceptionem in mulieribus,quarũ mariti si plebei sunt,absentes fuerint per duos annos,per rationẽ optimam in dict. l.traditam. Est etiam meretrix infamis & turpis persona,saltem infamia facti, vt not.per Bald.in.l.1.ff.de his qui not.infam.& ideò si illa instituatur hæres, fratri testatoris eam hæredem instituentis competit querella inofficiosi testamenti,iuxta tradita in.l. fratres.C. de inofficios. testam. & ita consuluit Ange.consi.171.incipit. Super puncto prædicto, quẽ refert & sequitur Guilliel. in cap.Raynuntius, verb.& vxorem nomine Adelasiam, in prima parte decis.5.num.257.Turpis autem persona dicitur,eo quod secundum Bald.in.d.l.1. infamis infamia facti turpis persona in iure reputatur, facit cap.meretrices. 32.quæst.4.ibi, venials turpitudo. Et in iure nostro infamia & perditio vitæ æquiparantur, vt voluit glo. in.§. suspectus. nu.2. verb.ob culpá,de suspect.tutor. & est tex.sing.in.l.iusta.ff.de manu. vindict.& probatur in.l. isti quidem.ff.quod met.cau. tradit Ias.in.l.transigere.nume.8.C.de transact:Si igitur iste ducens meretricem in vxorem eam liberat ab illa vilitate ac indignitate, & infamiæ macula, qua notabatur, quæ perditioni vitæ comparatur, non absonum erit, vt iste damnatus propter tale matrimoniũ liberetur à pœna mortis, arg. dict.l.iusta, sicut enim ibi seruus qui dominum liberauit à periculo infamiæ libertatem meretur,ita & hic remissionem pœnæ mereri videtur, qui hanc vilem,turpem,& infamem personam liberauit,ab illa vilitate,turpitudine,& infamia.

10 Sed his omnibus non obstantibus veritas est in contrarium, nec hunc condemnatum liberari posse ob tale matrimonium firmandum est, quoniam text. in cap.inter opera, nihil re vera facit pro superiori parte: nam text. ibi solum agit an actus ille ducendi meretricem in vxorem proficiat ad remissionem peccatorum. Et licet dicat quod sic, non ideò tamen quicquam in foro exteriori disponit, sed in foro animæ. Nec etiam dicit vt

aliqui malè putant, quòd proficiat hoc ad remissionem omniũ peccatorũ; sed verus intellectus ad illum tex. est quem dicit Abbas actum, scilicet illum proficere prout quilibet actus meritorius, respectu mensuræ bonitatis actus, non verò quoad remissionem omnium peccatorum, quod optimè declarauit doctissimus Cou. Ruui. de sponsal. c. 8. §. 11. nu. 3. Inquit enim quòd licet Cardi. & Pręposſ. velint, quòd huic gerenti prædictum actum concedatur remissio omniũ peccatorũ, non tamẽ est verum, sed tantam pœnam indulgeri accipienti meretricem in vxorẽ quã tam conuenit ei distribui ex thesauro Ecclesiæ propter illud misericordiæ opus, applicata satisfactione ab ipso summo huius thesauri dispẽsatore. Et ideo summa cum ratione Paris de Puteo in tract. de syndicat. §. an si iudex, circa fi. fo. 196. dixit hoc de iure non reperiri, sed Hispani practicant hunc condemnatum liberari. Et hinc colligi potest non benè aduertisse doctores, dicentes ipsum Paridem de Put. huius opinionis fuisse vt iste liberetur. Hãc etiam partem negatiuam tenuit Lodoui. Carre. in pract. fo. 170. §. circa nu. 85. Inquit enim cũ Paul. quòd iure non probatur, & quòd Hispani contrarium practicant. Et dicit Mansuer. in sua pract. tit. de pœn. versic. item in aliquibus partibus, quòd quãuis in aliquibus partibus obseruatur opinio affirmatiua, tamen est contra. l. commissum. C. de adult. qui tex. bene facit in argumentum, eo ꝙ negat matrimonium subsequẽs liberare mulierem à reatu adulterij antea commissi, & allegat etiã alia iura, & eum refert & sequitur Guil. Bened. in cap. Raynutius, verb. mortuo itaq; testatore in 1. nu. 269. Syl. nupt. lib. 4. fo. 120. nu. 33. Nec obstat quòd aliquot ex prædictis affirment consuetudine Hispanorum obseruari partem illam affirmatiuam: quoniã doctus vir Anto. Gom. in tract. de delict. c. 13. nu. 37. & nu. 92. asserit, quòd licet aliqui periti iudices illi dixerint ita olim fuisse practicatum, non tamen esse verum nec tenendum quia non reperitur iure cautum, & quia tenderet in præiudicium reipublicæ, ne viles ribaldi & infames quotidie hoc facerent, & refert Petrum de Bernia qui consultus super hoc dicit, quòd talis damnatus non liberetur, & respondet ad text. in d. cap. inter opera, prout responsum est vt procedat in foro animæ. Est igitur concludendum, quòd condemnatus ad mortem, licet meretricem ducat in vxorẽ, & sic actum laudabilem & proficiẽtem ad remissionẽ peccatorũ gerat, nõ tamẽ liberatur à pœna mortis,

mortis, tum quia iure non probatur, tum etiam quia de consuetudine non apparet. Nec obſtant argumenta ſupra relata, quia procedunt in foro animæ: ibi enim prodeſt delinquenti opus pium poſt delictũ commiſſum. Mitius namq; agitur cum Deo quam cũ homine, vt dicit glo. in.l. ſi quis rem.§.voto.ff.de pollicita. Nec illud aliud argumentum de baptiſmatis ſuſceptione quidquam obſtat, quando quidem, vt infra dicetur, falſum ſit dicere, quòd per baptiſma ſubſequẽs liberatur condẽnatus à pœna mortis naturalis. Nec etiã tertio loco obſtabit arg.d.l.iuſta.ff. de manumiſſ. vindi.nõ enim eſt par ratio in caſu noſtro, & in caſu d. l.iuſta. Nã in caſu noſtro, licet condẽnatus ad mortem liberet meretricem à turpidine, & infamia eam in vxorem ducendo, non ideo tamẽ ipſe liberatur à pœna mortis, quia antequam feciſſet hoc opus laudabili iam ob ſua crimina mortẽ ex cõdemnatione ſubſequẽti merebatur: & ideò opus pium poſtea geſtum non liberat eum à reatu pœnæ. Ius enim ciuile ita voluit, arg.l. qui ea mente.ff. de furt. Nam ſicut ibi opus optimum puta pœnitentia non prodeſt criminoſo, quominus nocens eſſe deſinat, ſi illa venit poſt delictum conſummatum, vt in. l.pe.cum ſimilib. ff.de vi. bonor. rapt. Sic in caſu præſenti de iure ciuili, hoc opus meritorium ducendi meretricem in vxorem, non proderit ei poſt delictum conſummatum, imò & poſt condemnationem. Seruus autem liberans dominum ab infamia ideò à ſeruitute liberatur propter tale opus laudabile, quia in ſeruitutem incurrerat non ob ſua crimina, ſed ex diſpoſitione iuris: vnde libertatem naturalem, quam diſpoſitione iuris amiſerat facile eſt recuperare. Ius enim quod libertatem ſeruo ademit, eandem ei reſtituere potuit. l. manumiſſiones, cum ibi

11 nota. ff.de iuſt. & iure. Vlterius conſiderandum eſt pro ſolutione huius arg.d.l.iuſtã.ff.de manumiſſ.vindict. quod tex.ibi non dicit ſeruum effici ſtatim liberum, ſi dominum ab infamia liberauerit, ſed ait ob id iuſtam eſſe cauſam manumittendi ſeruum. Illa tamen cauſa prout quælibet alia ex enumeratis in.§.eadem lege, Inſtitu.ex quibus cau.manumit. lic. exponi debet Prætori, vt ille cauſa cognita, iuſtam cauſam approbet, & dominus minor annis 20.libertatem ſeruo dare poſſit vt in d.§. eadem lege, & per totum titu. de manumiſ. vindict. Sic in propoſito noſtro, cum ex rationibus ſupra relatis is qui meretricem ducit in vxorem, opus admodum laudabile faciat,

videtur quòd ſaltim in aliquibus caſibus iuxtam præſtabit cauſam conſulendi Principem, vt ille arbitretur, an condemnatus ſit dignus pœnæ remiſsione propter tale opus, non erit abs re, quòd iudex pœnam remoretur, & principem conſulat, arg. text. in. l. 1. §. fi. ff. de quæſtio. in ſua generalitate, ibi ſi quādo nocens videbatur, ratio innocentiæ conſtiterit. Facit. l. pe. ff. de ſi car. cum adductis per Hipol. in d. §. fi. & per Iaſ. in. l. furioſum num. 8. C. qui teſtam fac. poſſunt. Certe ſi caſus occuriſſet ita ſeruandum fore crederē. Princeps enim inſpecta qualitate rei, & conditionis mulieris, & temporis, & aliarū cauſarum occurrentium, ſtatuit quòd ſibi placuerit, vt pro lege ſeruetur ſaltim in caſu illo: & ex his (vt opinor) ſatiſfaciam Bartho. de Caſſane. in cōſuetudinibus Burgūdiæ in rubr. des Iuſtices &. §. 5. fol. 56. verſic. Duodecimus caſus eſt, vbi circa deciſionem huius caſus, duo dicit quæ tanto viro ſummæ eruditionis digna non ſunt, alterū eſt, quòd putat hunc caſum non eſſe ſine dubio, eo quod iudex poſtquam ſemel ſententiam cōdemnatoriā tulit, illam reuocare non poteſt. l. iudex. poſteaquam. ff. de re iudica. Hoc enim fatemur, iudicem facere non poſſe, inconſulto principe. Alterū eſt, quòd fatetur, ſe caſum iſtum neſcire decidere, quia neſcit iura facientia pro parte affirmatiua, in quā partem ille inclinare videtur, cōſtat enim ex ſupra dictis, quòd pars negatiua verior ſit, nulla enim lege, aut concludent ratione ſuſtineri poteſt, vt condemnatus ad mortem, illā euitare poſſit propter matrimonium cum meretrice contractum.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum condemnatus ad mortē, qui forſan effracto carcere aufugit, poſsit ad ſacros ordines promoueri.

SVMMÆ.

1 *Ordo ſacer computatur inter ſeptem Sacramenta Eccleſiæ.*

2 *Ordo ſubdiaconatus ſacer dicitur, licet olim non ita.*

3 *Argumenta propoſita quæſtioni repugnantia, & ſolum quæ potiora ſunt deſcribuntur vſque ad nu. 5.*

4 *Ordinatus frauduleter, vt pœnam euitet caracterem ſuſcipit, & numero. 24.*

5 *Negatiua pars multis comprobatur, vſq; ad n. 12. & reſoluitur de iure non poſſe condemnatū ad mortem promoueri ad ſacros ordines:*

6 *Crimina depoſitione digna, vel quæ infamiam iuris irrogant, impediūt ordinum executionem etiam poſt peractam pœnitentiam.*

7 *Ordinandus exprimere tenetur impedimenta omnia quæ habet.*

8 *Infamis non admittitur ad ordines suscipiendos.*

9 *Seruos ordinari non posse manifesti iuris esse, si tamen de facto ordinantur, an dominis restitui debeant resolutiue declaratur.*

10 *Rationes illius prohibitionis assignantur.*

11 *Intellectus c. legem. 53. di.*

12 *Respondetur omnibus argumentis adductis contra principalem quæstionem, & late probatur seruū de facto ordinatum vere ordinem & caracterem suscipere & n. 24.*

13 *Verbum deponatur est futuri temporis non importans canonem latæ sententiæ, sed ferendæ.*

14 *Intellectus ad tex. in cap. de famulis, de serui. non ordi. & ad tex. in c. Episc. 12. q. 2. & n. 15.*

16 *Clericus committens homicidiū priuatione dignū, non amittit ipso iure beneficium.*

17 *Verbum, careat, an importet canonem latæ sententiæ vel ferendæ.*

18 *Responpetur breuiter quatuor argumentis adductis, pro parte affirmatiua.*

19 *Quatuor enumerãtur casus in quibus secundum. DD. seruus ad ordines sacros promoti priuilegio clericali gaudent, quamtumcunq; depositi fuerint & dominis traditi.*

20 *Eorum tamen casus aliquot à iuris regulis deuiare vltra DD. ostēditur.*

21 *An is qui violentas manus iniecit in seruū de facto ordinatum, & iam depositum incidat in canonem. Si quis suadente.*

22 *Seruus de facto ordinatus & depositus non gaudet priuilegio fori. contra multos. DD. quorum argumentis satisfit & n. 23.*

24 *Seruus etiam fraudulenter ordinatus, ordinem & caracterem suscepit, & n. 4.*

25 *Quis sit index competens, sæcularis, scilicet vel ecclesiasticus, ad cognoscendum an seruus ad condemnatus ad mortem, fraudulenter ordinatus ad sacros ordines, debeat priuilegio clericali gaudere, vt euitet pœnam sanguinis iam illi per sentētiam sæcularis iudicis impositam, late discutitur vsq; ad finem.*

Exceptio declinatoria fori ratione ordinis potest opponi etiam post sententiam condenatoriam ibidem.

26 *An quis sit effectus clericus, vel non, cognitio, ad ecclesiasticum pertinet.*

27 *Priuilegium fori non prodest clerico, qui post delictum commissum fraudulenter ordinem suscepit, & qualiter hoc intelligendum sit declaratur.*

28 *Nõ tamen posse clericum in sacris constitutum puniri pœna sanguinis ante degradationem realiter factã intrepide affirmatur, licet in clericis prima tonsura diuersum sit.*

29 *Iuri communi inspecto, si de vestibus clericorum prima tonsura, vel*

de ipſa tonſura, aut de validitate clericatus contentio oriatur, cognitio ad eccleſiaſticum iudicem pertinet. Quid autem ſit dicendũ iure regio monſtratur ex verbis. c.9.compoſitionis facta inter clerum huius regni & Regem Ioan*nem,anno.*1417.

30 *Iudex ſæcularis cognoſcit de exceptione obiecta contra validitatẽ clericatus, licet in ea exceptione tractetur de inualiditate diſpenſationis illegitimitatis ex ſtylo Curiæ*

NVnc iam diſputare breuiſſime conuenit, vtrum condemnatus ad mortem, qui forſan effracto carcere aufugit, poſsit ad ſacros ordines promoueri, ad cuius rei veritatem ante omnia
1 conſiderandũ * eſt. Quòd ordo ſacer, vnum eſt ex ſeptẽ Sacramẽtis Eccleſię, gratiã cõferens ſuſcipiẽti, iuxta illud Pauli ad Thimo. 1.c.5. Noli negligere gratiã, quæ data eſt tibi per prophetiam, cũ impoſitione manuũ Præsbyteri, de quo per Thom.in.4.d.24. & late probat frater Alf. de Caſtro, contra Marti. Lutherum in libro aduerſus hęreſes lib. 11. in verbo ordo fol.704. Eſt etiam ad
2 uertendum, * quòd hi ordines, ſcilicet ſubdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus ſacri ſunt. c. erubeſcant.31.di. Licem olim ordo ſubdiaconatus non cõnumeraretur inter ſacros ordines cap. nullus in Epiſcopatũ.60.di. Hodie verò & ſacer dicitur c. miramur de ſeruis non ordinan. & d. c. erubeſcant; & hoc clarius exprimit text. in c. à multis de æta. & qualita. Neq; erit in præſenti intentionis noſtræ quidquã tractare de ſuſceptione ordinũ minorum, ne ab incepto propoſito deuiare videamur longiorem de ea refaciendo mentionem.

3 His ſic præſuppoſitis aduertẽdũ eſt, quòd multa ſunt, quę poſſent pro parte affirmatiua adduci, inter quę occurrit illud vrgẽs argumẽtum, quo vtitur S. Tho. in.4. di.24. verſi. ad tertium, quãdo arguit pro ea parte, quòd nõ requiratur bonitas vitæ in eo, qui vult ordines ſuſcipere. Inquit enim ille, quòd per omnem gratiam datur aliquod remediũ contra peccatum, ſed illis, qui habent peccatum non debet aliquod remedium denegari, quod eis valere poſsit. Cum ergo in Sacramento ordinis (vt dictum eſt) gratia conferatur, bene ſequitur debere & hoc Sacramentum ordinis peccatoribus conferri. Ex quo ſequi videtur, quòd condẽnato ad mortem, licet bonitas vitæ deſit (quandoquidem ipſe furtum, rapinam, homicidium, ſacrilegium, adulterium vel quodlibet aliud ſimile crimen commiſsit, propter quod meruit condemnari) poſsit nihilominus ad ſacros ordines promoueri.

Secun_

4 Secundo pro hac parte facit, quia quamuis iſte condemnatus ad mortem, videatur coacte ordines ſuſcipere ad euadendam mortem, quo caſu ex ſacramento ordinis ſic coacte ſuſcepto nõ videtur impreſſus caracter, iuxta tex. & ibi no. in cap. maioris. §. fi. de baptiſmo. Tamen hoc verum eſſet, ſi coactio eſſet vera & abſoluta, vt quia per vim ordinatur, vt not. glo. in cap. vbi iſta. 74. di. & præpoſi poſt Cardi. ſancti Siſti in ſumma d. di. 1. column. At verò in coactione, quam conditionalem DD. appellant, vt quia cogitur aliquis ordinari, ad euadendum cruciatum, vel mortem ſi ordinatur, caracterem ſuſcipit, vt no. in cap. vbi iſta di. 74. & in cap. de Iudæis. 45. d. per Archie. Floren. in ſumma in. 3. part. titu. 14. de ordinibus. §. 18. Et ratio eſt, quia in tali coactione conditionali ad eſt voluntas ſaltem in directa cap. meritò. 15. q. 1. Cũ igitur condemnatus ad mortẽ, ea conditionali coactione cogatur ordinem ſuſcipere, bene videtur quòd in eo impreſſus ſit caracter ordinem ſuſcipiendo & poſſit ordinari. Tertio facit quia in iure expreſſe non reperitur prohibitum, vt ad mortem condemnatus ordinari non poſsit. Cur ergo illud fieri poſſe negabimus arg. l. præcipimus cum ſimili. C. de appella. Quarto facit, quia per collactionem ordinis ordinatur quis ad diſpenſandum ſacramenta diſpenſari poſſunt, tam à bonis quàm à malis ſacerdotibus cap. intra catholicam, & cap. ita ſit cap. nulli cap. nõ eſt, cum alijs. 1. quæſt. 1. & cap. oſtenditur de conſecrat. diſt. 4. Ergo & iſte licet malus reputetur, propter crimina commiſſa, per quæ meruit condemnari poterit ſacerdos fieri.

His omnibus nõ obſtantibus
5 veritas * eſt in contrarium. vt ſcilicet non poſſit is ad mortem cõdemnatus, ad ſacros ordines promoueri, quia per ſententiam latam contra taliter condematum de aliquo graui crimine, notoriũ efficitur crimen Iuxta cap. fin. de cohabi. cleri. & l. emptorem. ff. de actio empt.

Sed propter crimina notoria, ſi grauia ſunt, impeditur quis miniſtrare in ſuſceptis ordinibus, & ad ſuperiores ordines aſcendere non poteſt cap. quæſitum de temporibus ordi. & ibi notant omnes, ergo talis ordinari non poteſt, maximè cum impediant promotionem talia delicta, ſi publica & notoria ſunt cap. ex tuarum aliàs ex tenore tuarum eo. tit. notatur in cap. quoniam. 48. di. & latius in cap. primũ. 25. di. vbi præpoſi. Alexan. ſequendo Ioan. Andre. optimè rem explicat, & idẽ eſt in quolibet delicto depoſitione dig-

ne digno, de quibus in. c. at si Clerici. & c. cum non ab homine de iudi. Et quamquam Abb. in prin. illius tex. c. quæsitum dicat materiam eius fortem, & intricatam, constat tamen ex sua resolutione, & aliorum Doctorum, de quibus per Trotium in lib. 2. de perfecto clerico. cap. 29. quòd illæ supradictæ conclusiones verissimæ sunt. Ex quo videtur dicendum, quòd cum iste ad mortem condemnatus, notoriè sit criminosus, & delictum commiserit, quod depositione dignum erat, ad sacros ordines ascendere non possit. In hac tamen re, semper consideranda sunt verba D. Augustini, de quibus in c. Apostolus. 81. dist. qui ait verba Pauli Apostoli, cum dicit ordinādum, debere sine crimine esse non intelligi de peccato: hoc enim si Apostolus diceret, omnis homo reprobaretur, sed ideo dixit sine crimine, vt intelligamus de homicidio, adulterio, furto, fraude, sacrilegio, & cæteris huiusmodi. Crimen (inquit) graue est peccatum, accusatione & damnatione dignissimū, & ideo superiora dicta per hęc declarāda esse putarē.

6 Secundo * facit quia quædam sunt crimina, quæ impediunt ordinum executionem, etiam post peractam pœnitentiam, & inter alia de quibus per Doct. in c. quęsitum supra allegato, & per Præposi. Alex. c. de his o. 2. n. 11. post Archi. nu. 6. l. di. Est etiam omne delictum inducens infamiam ciuilem. 3. q. 7. c. 3. §. porrò, & omne delictum de quo prouenit infamia, eo quòd per sentētiam declaratur illud commissum esse. 2. q. 3. c. Euphemiū. §. 1. Secundum Archi. in d. c. de his, & per glo. in c. nisi de renuntia. in verbo. Sed dumtaxat circa finem. In his ergo casibus non potest quis ordinari, & si ordinetur ignorante Episcopo, quia tempore ordinationis criminosus se non prodidit, deponendus est, per tex. in c. ex pœnitentibus. l. d. Et ea videtur esse ratio, quia etiam post peractam pœnitentiam, non tollitur irregularitas ex crimine causata, vt probatur in c. miror, & c. clericū. l. di. habetur in c. inquisitionis de accusat. & notat Præposi. Alex. (post alios) nu. 5. in d. c. miror, quòd ea quæ sunt ordinata ad tollendum delictum in foro pœnitentiali non possunt operari, vt super delicto inducatur dispensatio quo ad tollendam pœnam irregularitatis contractę ex delicto, vt constat ex tex. vbi notant DD. post glo. in c. presbyter. 15. q. 5. & in c. qui vult. §. quibus cognitis de pœniten. di. 6. vbi dicitur, quòd pœnitentia gratiæ non dignitati pœnitentem restituit, de quo tradit Nauar. ibidē num. 8. facit tex. & ibi no. in cap.

ventum

ventum eſt. 1. q. 1. Troti. lib. 2. c. 14. n. 2. Si ergo neq; pœnitentes, neq; hi etiã, qui iam per acta pœnitentia delictum antea commiſſerũt ordinari poſſunt, tum quia in infamiam inciderũt, tum quia ex eo delicto commiſſo irregularitas orta eſt, conſequens eſt, vt condemnatus ad mortem ex tali delicto ordinari nõ poſſit, quandoquidem in eo, vtrumq; impedimentũ & infamiæ, & irregularitatis concurrit. Tertio confir-
7 matur eadem ſententia quia ordinandus fateri tenetur crimina, ſeu alia impedimenta notoria, propter quæ ille impeditur ad ordines ſacros promoueri, per d. c. ex pœnitentibus, & per no. in d. c. niſi. Et docet Hoſti. in ſumma de ſcrutinio in ord. facien. in. §. quid ſi promouendus. Sequitur Trotius in lib. de perfecto clerico c. 37. nu. 3. & ſi de facto ordinetur deponendus eſt d. cap. ex pœnitentibus, & cap. expoſuiſti de corpore vitiatis, ibi, & in promotione ſua id tacuerit fraudulenter ab Abbatię officio eſt non immerito amouendus. Clarum eſt igitur quod ſi cõdẽnatus ad mortẽ declarauerit impedimentũ notoriũ cauſatũ ab infamia irrogata per ſentẽtiam & irregularitatẽ ex delicto incurſam quòd ordinari non poterit ex ſupradictis. Quod ſi hoc fraudulenter tacuerit, & de facto ordinatur, deponi debet, nec interim habebit executionẽ ordinis, vt concluditur per DD. in d. c. niſi, & per Archi. Flor. in ſumma in 3. par. fol. 14. c. 16. de ordinibus in. §. 13.

Quarto adiuuatur, quia clarũ
8 eſt * quòd infamis ab ordinibus ſuſcipiendis repellendus eſt. cap. omnes, & cap. infames. 6. q. 1. c. laici, & ibi notant omnes diſ. 33. cap. fi. de teſti. cum alijs. Graue eſt enim, vt vir de quo talia, & tãta nuntiantur honoretur, vt inquit tex. in cap. omnipotens de accuſatio. & ea eſt euidens ratione, ſcilicet ijs infamibus dignitatum portæ poteant, iuxta regulã infamibus de reg. iur. in. 6. Qui enim ad ſacerdotium promouetur, dignitatẽ habere dicitur in c. deniq; 4. di. c. reperiuntur. 1. q. 1. Facit tex. in c. tãtis Daniel di. 81. cap. inter dilectos de exceſſi prælato. Et talis infamia aufert ordinato executionem ordinis, ſecũdum omnes poſt Abb. in c. licet Hely. nu. 19. de Symonia. Et aduertendum eſt, quòd in caſu ſuſcipiendi ordines, ius canonicũ omnes infames eſſe dicit, quos leges ciuiles infames appellant. Et ideo quilibet condemnatus ob crimen publicũ infamis erit quãdoquidem hunc infamem appellat tex. in. l. infamem. ff. de publi. iudicijs. Si igitur infamis ordinari non poteſt, & infamis ille dicitur, qui condemnatus eſt ex publico

blico iudicio, iam sequitur, quòd condemnatus ad mortem ex tali publico iudicio non possit ordinari. Potest & alia ratio vltra Doctores assignari. Cur infamis in sacerdotem eligi non potest, & est quia sacerdos iudex est spiritualis, Matth. 18. cohabetur in c.1.de pœnit.d.6. Cum vero infamis iudex temporalis esse non possit.3.q.7.c. infamis, tradunt DD.in regula infamibus per. l.2. C.de digni.lib.11.& no.in.l.cum pręter in fi.de iud.& in.l.Pædius ff.de arbi. Ergo neq; poterit esse iudex spiritualis, & quidem maiori cum ratione arg.c. inter corporalia de transla. Episcopi.

9 Quinto * facit quia seruus ordinari non potest, prout statutũ fuit in Concilio Triburiensi, in capit.29.& habetur in cap. nulli, & in c. frequens, & c. generalis, cum alijs. 54. d. Ad idem est tex. in cap. 1. & cap. de seruorum de seruis nõ ordinand. Verba enim d.capituli nulli sic se habent, Nulli de seruili conditione ad sacros ordines promoueatur, nisi prius à proprijs dominis legitimam libertatem consequantur, cuius libertatis carta ante ordinationem in ambone publice legatur, & si nullus contradixerit, rite consecrabuntur. Porrò seruus nõ canonicè consecratus, postquã de gradu ceciderit, eius conditionis sit, cuius fuerat ante gradum. Faciunt & verba tex.in cap.ex antiquis ea.di.& quamquam in hac materia longa fiat distinctio per DD. in locis supra citatis. Vera tamen & indubitata est conclusio, quod si seruus ad sacerdotiũ promotus fuit, domino suo, & Episcopo ordinatore ignorantibus calliditate, seu dolo, aut malicia serui interueniente, à sacerdotio deponetur, & domino reddetur per text. hoc clare dicentem in c.de seruorũ.54. di. & per tex. in c.2.de seruis non ordinan. Sic enim DD. omnes iura prædicta intelligunt, quos refert Trotius lib.2.de perfecto clerico.c.4. nu. 3.qui transcripsit verba Hostien. in summa de seruis non ordi. §. qualiter seruus. Assignaturque

10 duæ * rationes huius prohibitionis. Altera est quia indigna est seruilis vilitas, respectu tantæ dignitatis cap. admittuntur. 54. di. & dict. cap. de seruorum Altera quia debet immunis esse ab alijs, qui diuinæ aggregandus est militiæ.cap. primo.54. dist. Si igitur seruus ordinari non potest, & domino reddi iubetur, ergo neque condemnatus ad mortem ordinari poterit: consequentia probatur, quoniam is seruus pœnæ efficitur statim quòd sententia condemnatoria contra eum lata est, vt probat.l. qui vltimo. ff. de pœnis in verb. statim, & in. §. seruus pœnæ Insti. quib.

quib.mo.ius pa.po.sol.de quo late dicam in q. 6. Neque obstabit text. in Auten.sed hodie nemo. C. de dona.inter vir.quæ dicit iure hodierno neminem ex supplicio seruum effici : quia intelligitur secundum glo. ibi & Bart. in d.l.qui vltimo,& in l. quidam ad fi.de pœn. non habere locum in his, qui ad vltimum supplicium condemnantur, & mori debent per sententiam : quod etiam tenent omnes in.l. si victum. ff. de re iudica:hoc enim casu incorrectus manet text. in d. l. qui vltimo. Confirmatur hoc quoniam in condemnato ad mortem militant illæ duæ rationes supradictę quibus impediuntur serui ad ordines sacros ascendere : nam in hoc condenato datur vilitas seruilis quę sacerdotali dignitate indigna est.Itē & nō est immunis, ab alijs, ideo militiæ diuinæ aggrægandus non est. Quòd si de facto ordinetur, quia fraudulenter tacuit impedimentum hoc notorium, deponendus erit per iura supra citata quæ in seruo loquuntur.Et quàmquàm aliæ etiā rationes asignari posint ex traditis per Theologos in. 4. d. 25. cur seruus ordinari non posit, de quibus per Ioan. de Turre crema. & Præposi Alex. in summa, 54.di.quæ forsan non conueniēt condemnatis ad mortem, sat est quòd duæ illæ supradictæ in eis locum habent. Et ideo iura loquentia de seruis non ordinandis, militabunt etiam in his seruis pœnæ, quoniam vt notissimum est, lex quæ fundatur pluribus rationibus, si in casu de quo quæritur remanet vna earum rationum, remanebit etiam eo casu legis disposit. §. affinitatis insti. de nup. notat Bar. in l. liberorum ff. de his qui not. infamia. notat Ias. in l. quod dictum num. 4. de pactis. Sunt namque alia impedimenta, vt supradictum est, quibus cōdemnatus ad mortem impeditur ad sacros ordines promoueri.

11 Sexto etiam pro hac parte allegari potest text. in c. legem. 52. di. ibi qui sæculi actionibus implicati sunt in clero Ecclesiæ præpostere suscipiendi non sunt, qui text. intelligi debet de his qui sunt in perpetuum astricti administrationi alicui secundū. Præp. in cap. præterea nu. 3. 51. di. post Archi. ibidem. Facit tex. cum ibi no. in c. 1. de obli. ad ratio. Si igitur hij tales rationibus publicis, vel alicui administrationi implicati ordinari de iure nō possunt, multo maiori cum ratione dicēdum videtur, quòd condemnati ad mortem ordinari nō posint, quandoquidem sic cōstricti sunt & implicati rationibus redendis vt teneantur (si deprehendantur) vitæ rationem redere.

12 Neque obstat * quæ superius adduxeram pro parte affirmatiua, quoniam his omnibus facilis est responsio, quæ colligi potest ex resolutione huius quæstionis (de qua prius querendum erit.) An seruus licet de iure ordinari non posit, si tamen de facto ordinetur, verè recipiat ordinem: & eius executionem, quousque deponatur per sententiam. Et ad uertendum est, quòd ea quæ in hac re dicemus de seruo intelligenda etiam sunt in condemnato ad mortem. Et vt breuitati cõsulam, decisiue loquar affirmando illum ordinem suscepisse, & eius executionem, deponi tamẽ debere, quia non ipso iure suspensus est cum ordinibus, sed deponendus est per sententiã. Hoc innuit text. in c. de seruorum de seruis non ordi. in verb. deponatur,
13 * quod est verbum futuri tẽporis per quod cum iura loquuntur non intelliguntur proferre canonem latæ sententiæ, sed ferendæ vt notat glos. in verb. priuetur in l. iubemus nulli. C. de sacro. Eccle. & in l. in criminali. C. de iu. om. iudi. latè per Tiraq. in. l. si vnquam in verbo reuertatur num. 32. C. de reuocan. don. Et facit quia si iura volunt eum deponendum, esse ab ordinibus, vt infra latius dicetur, iam constat eum ordinem suscepisse quoniam priuatio præsuponit habitum. l. manumissiones. ff. de iusti. & iur. l. decem de verb. oblig. c. ad dissoluẽdum de despon. impu. cum alijs. Facit etiam quod in fortioribus terminis notat Abb. in c. vel non est compos. num. 2. & 3. de tẽporibus ord. per tex. ibi, quòd in habilis etiam ob defectum ætatis, si de facto ordinetur, ordinem recipit, & eius executionẽ, nisi suspẽdatur. Hanc opinionẽ, vt seruus ordinatus recipiat ordinẽ tenet S. Tho. in. 4. d. 25. q. 2. versi. ad secundum in responsione, ad primum, & idem esse ait in obligatis alicui administrationi, vel ratiocinijs detentis si ordinantur contra cap. 1. de oblig. ad ratioci. idem tenet Tho. in dict. 24. vers. ad tertium in responsione ad primum quem sequitur Præposit. Alexand. & Cardi sancti Sisti in summa. 54. dict. Inquit enim. S. Thom. quòd peccator si ordinetur, licet indigne ordinem suscipiat, illum tamen recipit, & ratio est, secundum eundem in dict. dist. 25. quæst. 2. versic. ad secundum in responsione ad primũ, quia de necessitate sacramẽti non requiritur libertas, aut claritas personæ, sed de necessitate præcepti Ecclesiæ. Vnde patet quòd sacramentum ordinis recipit tam liber quàm seruus, itẽ & tam bonus quàm malus: Ecclesia tamẽ bonis rationibus mota præcipit vt hij ordinari non debeát,

si ta-

ſi tamen ordinentur bene ſuſcipiunt ordinem, vt dictum eſt.

14 Neque * contra hoc obſtabit tex. in c. de famulis, ibi, nō ſulum libertatis beneficio careant ſed etiam honoris gradu, per quæ verba (licet nemo aduertat) dicendum videbatur, quòd ſeruus ipſo iure ab ordinibus priuatus ſit non autem requiratur ad hoc ſententia, quoniam natura verbi, careant, hoc importare ſolet, vt ſtatim dicam. Nam quamuis tex. illum ita intelligamus, non tamen quidquàm obeſſe poterit ſupradictę concluſioni, quia tex. ille loquitur in caſu nimis diuerſo: videlicet, in ſeruo, qui libertate donatus, & ad ordines ſacros promotus contra prælatum vel Eccleſiam patronam teſtimoniū fert, vel eam accuſat: propter quam ingratitudinem in priſtinam ſeruitutem reuocatur, honoris gradu depoſito. Iura enim tam ciuilia, quàm canonica acriter ſolent punire ingratitudinem iuxta no. in l. 2. C. de liber. & eod. lib. Adeo, quòd voluit Bald. in cap. 1. §. filij nati ſi de feu. fu. contro. inter domi. & agn. quòd filij legitimati à patre poſſunt reduci in priſtinum ſtatum propter ingratitudinem, quem refert & ſequitur Iaſ. in. l. ex hoc iure nume. 54. de iuſti. & iure: quod ampliabam olim etiam in caſu, quo princeps cum conſenſu patris filium legitimaret facit tex. & ibi no. in capit. Epiſcopus 12. q. 2. cum multis quæ breuitatis cauſa omitto. Si igitur iura ſic armantur aduerſus ingratitudinem, nimirum ſi in caſu d. c. de famulis, debeat ipſo iure ſeruus ordinatus honoris gradų priuari, quando ingratitudinem aduerſus prælatum, vel Eccleſiam dominam cōmiſiſſet. Sed re vera tex. ille non ſic intelligendus eſt, ſed quòd per ſententiam ſeruus ſit deponendus, & ſic concordabit cum ſuperius dictis, & hoc ita tenere expedit vt iura iuribus concordentur. Videmus namque quòd in eodē caſu, quo loquitur ille tex. videlicet in, liberto qui prælatum Eccleſiæ ſeu ipſam Eccleſiam patronam ſuam accuſauit, loquitur etiam tex. in cap. Epiſcopus verſi. huiuſmodi autem liberto. 12. q. 2. inquiens quòd in ſeruitutem propriæ Eccleſiæ reuocetur, cui nocere conatur: & loquitur tex. per verbum futuri temporis, per quod ſi pœna imponitur intelligitur per ſententiam, non ipſo iure, vt dixi, & no. in regu. in pœnis de re gu. iu. lib. 6. & in c. quia propter in verb. priuetur & in c. Cumana in verb. priuantes de elect. notat Abb. in cap. in quibuſdam. num. 7. de pœnis, & in c. ſi diligenti, n. 18. de foro comp. Pro eadē ſen-
16 tentia facit tex. in c. clericis * ibi,

D hono-

honore priuetur & loco, ne cle. vel mona. cuius argumento tenet communis opinio vt teſtatur Ioan. de Ana. in. c. inquiſitionis nu. 3. de accuſatio. quòd ſacerdos qui homicidium priuatione dignum commiſit, non amittit ipſo iure beneficium, ſed priuandus eſt per ſententiam, ſequitur Abb. in cap. cum noſtris de conceſſ. pręben. n. 22. adeo quod poſſit illud interim renunciare & valeat vt originaliter Innoc. quem multi ſequuntur relati per Ferra. cautela. 44. & tamen vt illi textui & communi opinioni nō repugnet tex. in c. miror. 50. di. in verb. priuatus, qui propter hoc verbum præſentis temporis contrarium innuere videbatur, dicit Ana. illum tex. in verb. priuatus intelligi debere per ſententiam, licet aliàs ſoleat hoc verbum importare canonem latæ ſententię. Igitur eodemmodo in caſu iam dicto vt iura concordentur intelligi debet tex. in d. cap. de famulis in verbo careant, ſcilicet per ſententiam, quandoquidem hoc innuit tex. in d. c. Epiſco. 12. q. 2.

17 Nec rurſus contra hunc * ſenſum obſtabunt notata per glo. in verb. poteſtate in c. nihil de electione: ex quibus clarè conſtat, verba hæc poteſtate careat, importare canonem latæ ſententiæ. Et ad idem eſt glo. in. l. prouidēdum in verb. careat foro. C. de poſtulam & notat Bal. in Autenti. habita, nu. 3. verſi. ſequitur in tex. dignitate careant, & Abb. in d. c. nihil, nu. 7. de quo latiſſimi more ſuo tractat Tiraq. in. l. ſi vnquàm inverb. reuertatur verſic. quinquageſſimo tertio fallit: quoniam ea omnia, vt idem Tiraq. reſoluit poſt Feli. in c. ex tenore, num. 17. de reſcript. intelligi debent, niſi aliud ſuadeat ſubiecta materia. Videmus enim quòd ob hanc cauſam aliquando hoc verbum, careant, non importat canonem latæ ſententiæ ſed ferendæ, vt probatur in text. ſecundum Hoſtien. in c. fi. de reſcrip. in his verbis: earum commodò careant, & ſunt alia multa iura ad hoc relata per eūdem Tiraq. Erit & alia reſponſio, vt omnia ſupra dicta procedant, niſi ex aliquibus verbis in text. poſitis conſtet mentem text. fuiſſet, vt talia verba non importent pœnæ illationem ipſo iure, ſed per ſententiam, vt etiam reſoluit Tiraquel. vbi ſupra in. 11. fallentia, nu. 55. Si igitur ſubiecta materia oſtendit, vt verbum careat, poſitum in d. cap. de famulis intelligatur non ipſo iure, ſed per ſententiam, ea ratione ne videantur iura ab alijs diſcordare, & conſtat ex verbis text. d. cap. Epiſcopus (qui quidem loquitur in caſu c. de famulis) quòd amiſſio gradus clericalis nō intelligatur

ipſo

ipſo iure, ſed per ſententiã: dicẽdum eſt, quòd licet alibi verbũ, careant, importet canonem latæ ſententiæ, nõ tamẽ ſit hoc in caſu.d.cap. de famulis, ſed ibi importet canonem ferendæ ſententiæ per ſuperius iam dicta.

Ex his omnibus ſupradictis, fa
18 cilis * oritur reſponſio ad ſecundum, & ad quartum argu. quòd in principio huius principalis quæſtionis adducebam pro parte affirmatiua. Nam fatendum eſt, quòd ſi condemnatus ad mortem de facto ordinetur, ordinem tamen & eius caracterem ſuſcipit, vt ſupra reſolutum fuit, & inferius dicetur. Et per hoc etiam ſatisfit quarto argu. reſpondendo quòd bene verũ eſt, quòd ſicut vera ſunt ſacramenta, quæ homo in peccato exiſtens diſpenſat, ita verum ſacramentum ordinis recipit iſte peccator: & ſicut ille indigne diſpenſat, ita iſte indigne recipit ſecundum Thom. in.4. diſt. 24. verſi. ad tertium in reſponſione ad primum.

Neq; obſtat primũ argu. quia etiam ex mente Tho. reſponderi poteſt, quòd ſacramenta illa ſunt neceſſario præſtanda peccatoribus, ſine quibus ille ſaluus fieri non poteſt, vt ſunt baptiſma, & pœnitentia, & Euchariſtia. At verò ſacramenta alia quæ perfectionem gratiæ conferunt, requirunt hominem per gratiam iam confortatum. Igitur quamuis Eccleſia ſtatuerit, vt bonitatem vitæ habeat is, qui ad ordines ſacros promoueri debet, de neceſſitate tamen ſacramenti non requiritur libertas, aut claritas perſonę, vt ſupra dicebam in verſic. neque obſtant quæ ſuperius. Nec obſtat tertium argu. quia licet in iure non ſit expreſſum, vt condemnatus ad mortem ordinari non debeat, ſunt multæ rationes, de quibus iã ſupradictum eſt, quę omnino cogũt nos hoc affirmare. Vnde concludendum eſt, quòd ſicut ex præcepto Eccleſiæ ſeruus ordinari non poteſt, etſi ordinetur, deponi debet, & domino reſtitui, ita etiam dicendum eſt in cõdemnatu ad mortem. Fatemur tamẽ, quod ſi vnuſquiſq; iſtorum ordinetur, ordinem ſuſcipit, & caracterem habet: & ideò neceſſario videtur inquirendum, vtrum iſte cõdemnatus ad mortem, qui ſacerdotem ſe dicit oſtenſo ſacerdotij titulo, quem aduerſarius impugnare conatur, eo quòd poſt cõdemnationem ad ſacrum ordinem promotus fuit, debeat coram iudice ſæculari litigare ad pronuntiandũ hunc priuilegio clericali nõ poſſe vti ad euadendã pœnã mortis. In qua re tanti ponderis aduertendum eſt, quia ſi vera ſunt, quę tradũt DD. in.c.2. de

ſeruis non ordin.poſt Abba. cer
te facilima eſt reſponſio,vt affir-
memus huius rei cognitionem
ad eccleſiaſticum iudicem perti
nere.Nam dicunt ipſi,plures da
19 ri * caſus,in quibus etiã ſeruis de
ſacerdotio eiectis, & domino
ſuo reſtitutis,cõpetũt priuilegia
clericis à iureconceſſa.Et adhuc
hic talis ſeruuus illis priuilegijs
vti poterit.Primus eſt caſus cir-
ca venditionẽ eius quæ à domi-
no fieri non poteſt arg.c.qui ſtu
det.1.q.1.Secundus eſt ſecundũ
Hoſtien. quia ſi dominus illum
nõ poteſt alere,tenebitur Epiſco
pus illi probidere , arg.text.in.c.
ad ſupplicationem de renũ. vbi
ſummus Pontifex Epiſcopo,cui
licentiã præſtitit cedẽdi Epiſco-
patui propter mortis periculũ,
Eccleſiam aliam illi contullit ad
eius congruã ſuſtentationẽ , ne
in vituperium ſacri miniſterij in
rebus temporalibus defectũ pa-
tiatur.Tertius caſus eſt,quòd nõ
licebit domino ſeruum verbera
re, quia in eo locum habebit diſ
poſitio c.ſi quis ſuadente. 17.q.
4.Itẽ & quarto dicũt DD quòd
nõ iudicabitur à iudice ſęculari,
ſed ab Epiſcopo,pro hoc allegãt
tex.in cap.ſi Imperator.96.di.cũ
ait,Imperator nihil cõtra diſpo-
ſitionem cœleſtis ordines vſur-
pet. Ex quibus videtur quòd
etiam ſi ſeruus, qui ſemel ad or-
dinem ſacrum promotus fuit,
de ſacerdotio deponatur , gau-
det tamen clericorum prærroga-
tiuis & priuilegijs,& multo ma-
iori ratione illis gaudere debet
antequã per ſententiã à ſacerdo
tio deponatur:& per conſequẽs
ad pronuntiandũ eum deponen
dum eſſe cognoſcet iudex Eccle
20 ſiaſticus. * Sed re vera licet nemi
nem viderim,qui contra prædi-
ctos caſus teneat,à iuris tamẽ re
gulis eos deuiare clare oſtendã:
& ideò ex his nõ eſt ſummendũ
argumentum ad deciſionẽ pro-
poſitæ quæſtionis. Tex.enim d.
cap. qui ſtudet nil ad rem atti-
net , quia licet in eo agatur de
prohibita venditione rei ſacræ,
ſeruus tamen licet ad ſacerdotiũ
promotus ſit,iure tamen depoſi
tus,& domino traditus,iam pri-
uilegio clericale gaudere nõ po-
teſt,vt infra dicam.Nec caſus ſe
cundus videtur verus,quia text.
in d.cap.ad ſupplicationem, ni-
mis longe diſtat à caſu noſtro.
Ibi enim vt in fine tex.dicitur,li
cet Epiſcopus Epiſcopatui ceſſe
rit , Epiſcopus tamen remanet,
quia dicit tex.cũ poſſe alibi Epiſ-
copale officiũ exercere : ꝙ ſeruo
ad ſacerdotiũ promoto , & nunc
depoſito non contingit. Illi ta-
men duo caſus videlicet tertius
& quartus veri videntur,vt in ta
lẽ ſeruũ iam à ſacerdotio depoſi
tũ, & domino traditũ non poſsit
21 quiſquàm ſine * metu pœne. c.
ſi quis

ſi quis ſuadente, violentas manus inijcere neque per iudicem ſæcularem iudicabitur. Et quamquã ſuper hoc videantur glo. variare in cap.dictum.81.diſt.in verb.ſæculariter, & in cap.accedens.I.di. & in cap.nulli.54. diſt. Communis tamen opinio ea videtur eſſe, vt clericus etiam depoſitus, nec offendi poſſit ſine metu pœne d. c.ſiquis ſuadente, nec à iudice ſæculari iudicari, quia in his duobus etiam poſt verbalem depoſitionem retinet priuilegium clericale. Ita voluit glo.in c. contingit de ſentẽtia excommu. quam ſequitur ibi Abb.nu.12.arguẽdo de tex.in cap.degradatio in fi.de pœnis, lib. 6. vbi habetur, quòd per degradationem actualẽ exuitur clericus omni priuilegio: ergo ante illã non amiſerat dictum priuilegium. Hac etiã opi. tenet glo.d.c. degradatio quam ſequũtur DD.poſt Philip.Franc.& Archidi. in d. c. accedens. E quãuis Pet.de Anchar. videatur dubitare in c.ad abolendam, nu. 12. de hæreti. attamen ille etiam hanc opi. tenet in d. c. contingit, nu. 6. Et Añto.de Bu.in d.c. ad abolendam. 3. colu. diſtinguit inter clericũ actualiter degradatum, & depoſitum, vt in primo caſu amittatur omne priuilegium, in ſecũdo vero nõ niſi in tribus caſibus, videlicet, in depoſito propter crimen hæreſis, per d. c. ad abolendam, & propter crimen falſi, per cap. ad falſariorum de crim.falſi, & propter contumeliam Epiſcopo ſuo illatam per c. ſiquis ſacerdotum.11.quæſt.prima Prædictam diſtinctionem & opi. ſequitur Abb. in d.capit. ad abolendam num. 10. nullam.de Anto. faciendo mentionem idẽ Abb. in cap. non poteſt de re iudica. & in capit. tuæ de pœnis, quem ſequitur Decius in capit. cum non ab. homine num. 6. de iudicijs, & eam opin. ſequitur etiam Archiep. Florent.in 3. parte ſummæ titulo.28.cap.4.de ſuſpenſione, & Sylueſt.in verb. degradatio in prin.& in.§.6. Ex hac igitur opinione tantorum patrũ authoritate corroborata dicendum videtur, quòd ſi iſte ſeruus etiam de gradu ſacerdotali deiectus retinet priuilegium fori, à fortiori, illud retinebit antequã per ſententiam depoſitus ſit: & per conſequens quod ad pronũtiandum hunc ſeruum, vel condemnatum ad mortem non debere vti priuilegio clericali ad euadendam mortis pœnam, iam illi per ſententiam illatam, ſit iudex competens eccleſiaſticus nõ verò ſæcularis.

Sed quoniam prædictam opinionem, vt depoſitus ad huc etiã gaudeat priuilegio fori, veram
22 non * arbitror in caſu de quo agimus, ſcilicet in ſeruo à ſacerdotio

deposito, ideo neque hoc supra proxime dictum facere arbitror ad decidendam quæstionē propositam. Nanq; licet DD. omnes supra relati indistinctē teneant, clericum depositum fori priuilegio gaudere, verius tamen videtur, vt illa opinio limitetur non habere locum in casu quo iste sacerdos depositus seruus sit. Moueor enim, tam iure, quàm Hostien. authoritate in d. c. 2. de seruis non ordi. qui arbitratur iustius esse, vt hi serui eo casu quo deponuntur, & domino traduntur, non remaneant de foro Ecclesiæ, nec ab Ecclesia defendantur. quam opinionē refert, & cū ea transit Albert. Tro. in tract. de perfecto clerico lib. 2. c. 4. in fi. & eam dicit veriorem Præpo. Alex. in c. nulli. nu. 4. & 54. di. Et licet Hostien. pro hoc ponderet text. in dict. c. 2. ibi decretum est, clarius tamen hanc probat conclusionem tex. in d. c. nulli allegatus etiam ab Hostien. Inquit enim, quo seruus non canonicè consecratus postquàm degradu ceciderit, eius conditionis sit, cuius fuerat ante gradū. Si igitur ante gradum sacri ordinis adeptum, seruus sine dubio de foro sæculari erat, & ideo à iudice sęculari iudicari debebat, ita & eodem modo postquàm de gradu ceciderit per sententiam debet à iudice sæculari iudicari: quādo quidem tex. dicit eum remanere eius conditionis, cuius fuerat antequam sacerdos esset. Ad idem est text. in c. ex antiquis ea di. 54. ibi, & exuti religioso priuilegio: facit ratio tex. in c. relatum de sententia excōmu. Sicut enim ibi seruus; qui in fraudem domini manus violētas in clericum iniecit, vt eundo Romam pro absolutione dominum fraudaret, subtrahendo seipsum ab obsequio domini, pro illo tempore potest imo debet absolui ab Episcopo, si læsio non sit enormis ne fraus sua illi patrocinetur in damnum domini, ita dicendum est quòd seruus fraudulenter ad sacerdotium promotus postquàm depositus est, non remaneat de foro Ecclesiæ, quia ob fraudem suam dominus damnū pateretur, cum non posset eum verberare, neq; per iudicem sęcularem eum coercere ad obsequiū illi pręstandum. Facit text. in ca. frequens. 54. di. ibi, sequendam conditionis suę necessitatem modis omnibus.

23 Nec obstant * secundum Hostien. iura, quę innuere videntur, vt clericus depositus remaneat de foro Ecclesię, quia intelligi debent de his personis, quæ liberæ sunt, & liberę absque fraude ordinatę sunt, non de seruis, qui calliditate, seu fraude interueniente, ad sacerdotium promoti sunt, ea ratione, quia seruus cum non

habeat liberum consensum, non potuit in preiudicium domini sui, votum emittere etiam expressum arg.d.c.relatum, nisi in his sine quibus salus animæ esse non potest, iuxta no.in c.fi.de iudæis: tunc enim salus animæ serui præferenda est omnibus rebus.c.pręcipimus. 12. q. 1. notatur in cap. fi.de præscriptio.

24 Nec etiam huic conclusioni Hostiēsis oberit si dicatur, quòd seruus sic fraudulenter ordinatus caracterem suscupit, & ordinem, vt supradixi secundū Tho. in.4.di.25.q.2.ver.ad secundum in responsione ad primum : & vt tenent Cardi.sancti Sisti & Præposi. Alex.in summa.54.di. Sicut insimili videmus quòd licet biga mus ordinari non posit. ca. 1.& per totum de biga. si tamen de facto ordinetur caracterem suscipit, vt concludit Anto.de But.in c.2.de biga. Sequendo Hosti. & tenuit Archi.in cap.lector.32.di. Præposi. Alex.in c. si quis viduā, num. 2. 50. di. Cum ergo seruus ordinatus caracterem habet, qui numquàm deberi potest, quia indelibilis est, vt probat tex.in cap. displicet. 23. quæst. 4. & tenet S. Thom.in.4.di.24.quæst.1. versi. ad secundum, & di.25.vers.ad secundum, & di.13.quæst. 1. in respon. ad. 3. &.4. quæstiunculam, vbi tenet sacerdotem ab Ecclesia separatum posse adhuc conficere, quia in eo caracter indelibiliter remansit, & est commu. opin. secundū Phili. Franc. in c. de gradatio de pœnit.lib.6.& tenuerunt alij, quos refert, & sequitur Eximius doctor Nauarr.in c. 1.§.laboret, num.4. de pœniten. dist. 6. Ideo videtur quòd etiam post depositionem remaneat seruus, vel condemnatus ad mortem qui ordines sacros suscepit, sub protectione Ecclesiæ quandoquidem caracter impressus in anima remansit.

Sed hæc consideratio rectè intuenti nihil obstabit, quia videmus etiam post depositionem, actualiter degradato, & omni priuilegio exuto caracterem remansisse, vt per Doctores in d. cap.degradatio, & per Præposi. in capitul. accedens, numero.5. & tamen taliter degradatus, cui semper caracter remanet, de foro sæculari efficitur. Non est igitur mansio caracteris in causa, vt dicamus, quòd propter illū debeat clericus depositus de foro Ecclesiæ manere. Vt ergo ad rem reuertar, iam ex prædictis constabit non posse argumentū summi ex conclusione prædicta ad decidendam quæstionem, quam superius proposui. Quam ob rem ad alia deueniam, quæ multum adiuuant partem affirmatiuam, vt debeat iudex ecclesiasticus cognoscere, an seruus

ſeu condemnatus ad mortẽ fraudulenter ordinatus ad ſacros ordines debeat priuilegio clericali gaudere, vt euitet pœnam ſanguinis iam illi per ſententiam iudicis ſæcularis illatam.

Et in primis aduertendum eſt quòd exceptio declinatoria fori, quæ proponitur ab aliquo clerico poteſt etiam opponi poſt ſententiam condemnatoriam, conſuluit hoc Decius conſi. 141. tenuit Bartolo. Caſſan. in conſuet. Burgundiæ in Rubri. des iuſtices §. quinto verſi. decimus caſus eſt fol. 52. & notata per Feli. in cap. exceptionem, n. 28. de exceptio. Idem firmat Dida. Couarru. in lib. practicarum quæſtio. cap. 33. nu. 2. etiam in caſu, quo reus ſemper coram ſæculari litigauerit vſque ad ſententiam, ea ratione, quia non potuerit expreſſe conſentire in iudicem laicum. Ergo neque tacite, præſertim in his caſibus, vbi tractatur de punitione corporali. cap. ſi diligenti de foro compe. cap. ſignificaſti eo. tit. Sic etiam voluit Nicola. Boe. in conſue. Bitur. tit. de iuriſdictione. §. 21. in fi. & hoc iure vtimur, Pro quo etiam facit glo. illa ſingu. in Cle. 1. de ſequeſtr. poſſ. quę voluit poſſe ſemper allegari nullitatem cauſatam ex defectu iuriſdictionis de qua per Felin. in Rubri. de foro compe. Cuius gl. arg. voluit Alex. in. l. 4. §. condemnatum. 6. colum. quòd licet poſt tres ſententias conformes non poſſit allegari exceptio nullitatis per no. in glo. Cle. 1. de re. iudica. limitetur tamen niſi nullitas cauſetur ex defectu iuriſdictionis: de quo late Petrus Duc. de regu. iuris regula. 379. Quam ob rem in caſu de quo agimus poterit iſte condemnatus ad mortem, qui poſtea ad ſacros ordines promotus fuit, exceptionem fori opponere, eaq́; oppoſita ante iudicem ſæcularem, oſtenſoq́; titulo ſacrorum ordinum tenebitur iudex ſæcularis eum ad eccleſiaſticum remittere: nec quidquàm coram eo tractabitur de validitate tituli eo quòd fraudulenter dicatur ad ſacerdotium promotus fuiſſe. Ad quod facit lex. Regia lib. 2. tit. 1. §. & quanto he, & in. §. outro ſi os clerigos, quæ iubet vt ſęculares iudices teneãtur ſtatim remittere ad eccleſiaſticum iudicem eos, quos notoriè conſtat ſacerdotes eſſe: vel ſi non notoriè hoc conſtat, ſaltim probetur per inſpectionem inſtrumenti ſui tituli, vel etiam per teſtes, nam teſtibus etiam iure communi probatur ordinum ſuſceptio. c. inter quatuor. c. tuæ de cleri. peregri. Super qua re olim orta in facto controuerſia an Epiſcopus poſſit clericum alterius diœceſis petere à ſæculari non oſtenſis literis originalibus ſuæ tonſuræ, ſed

tan-

tantūmodo testimonialibus fuit obtentum sufficere literas testimoniales per notata in cap. 1. de cleri. perig. & in cap. post cessionem de probatio. Et hanc opinionem dicit magis æquam Pet. Belug. in specu. Principum Rubri. 11. de propositione grauaminum. §. item dubitatur.

26 Secundo quia in hac quęstione tractatur an iste condemnatus ad mortem effectus sit clericus, & huius rei cognitio ad ecclesiasticum pertinet per tex. vulgarem in cap. si iudex laicus in prin. de sententia excommu. lib. 6. Itē & magis in specie facit tex. in c. frequens. 54. dist. vbi Gelasius Papa cui domina duorū seruorum conquesta fuit de Sabino Episcopo, qui prædictos seruos ea ignorante ordinauerat, alterum, scilicet ad sacerdotium promouendo, alterum ad primam clericalem tonsuram, commisit causam decidendam tribus Episcopis in hæc verba: Cognitionem vobis nostra authoritate deputamus, vt omni veritate discussa, si re vera obiectam sibi maculam iustæ refragationis nō poterit ratione diluere Leontium clericum, quem gradus præfinitus legibus non defendit, ad sequendam suæ conditionis necessitatem modis omnibus reddi iubeatis. Antiochum verò quia per sacerdotium, &c. Et sic patet ad iudicem ecclesiasticum pertinere cognitionem & pronuntiationem veritate discussa, an iste seruus vel condemnatus ad mortē ad ordines sacros promotus, sit priuilegio clericali indignus, ob id quòd fraudulenter post cōdemnationem ad sacerdotium promotus est, & quòd iudex sæcularis, viso ordinum titulo, debeat statim illum ad ecclesiasticum iudicem remittere. Et ad huius quæstionis resolutionem duo sunt consideranda. Alterum

27 est, quòd omniū doctorum * vera & communis cōclusio habet, nō prodesse fori priuilegium clerico, qui fraudulenter post delictum commissum clericus efficitur, & posse per iudicem sæcularem puniri. Fuit hæc opinio Ioā. Andre. in c. 1. de oblig. ad ratioci. Bar. in l. 1. de pœnis: multorū etiam quos refert & sequitur Stepha. Aufre. de potesta. secu. super ecclesia. perso. in. 1. regula. n. 19. Cassan. in consue. Burg. in Rubr. des iustices. §. 5. versic. decimo quarto, nu. 67. Ioan. Bertachi. in tracta. de Episco. q. 49. Petr. Belu. in speculo principum in rub. 11. de propositione grauaminum. §. videndū in fi. Couar. in lib. pract. quæstionum. c. 32. nu. 4. Et eadē omnium communis opinio tenet hoc sine dubio procedere quo ad condemnationem clerici in eius bonis, non verò quo ad

pœnam corporis. Et hanc esse cõmunem testatur Couar. in loco prædicto, licet Auendanius in tracta. de manda, exequem quem ipse refert in c. 22. contrarium teneat, vigore cuiusdam constitutionis Alexand. 6. quam dicit extare inter practicas regni Castellæ. Et sine dubio opinio ista communis approbata videtur per legem Regiam, libro. 2. titulo. 1. §. *Esendo algun leigo citado*, ibi, *& isto quanto ao ciuel somente & mais nam.*

28 Alterum * quod considerari debet, sine quo negotium hoc recte explicari nõ potest, illud est, vt in casu, quo quis in fraudem ordinem suscepit, si tale delictum antea commiserit propter quod mortis vel membri mutilationis pœnam meruerit, non debet iudex sæcularis in eum sententiam sanguinis proferre, nisi prius clericus iste fuerit ab Episcopo rite degratus. Licet namq; doctores omnes supra relati fateantur hunc degradatum remanere sub iurisdictione sęculari cõcludunt tamen, eum puniri non posse per sæcularem nisi prius facta degradatione, & traditione sequuta istius clerici curiæ sæculari. Et hæc fuit etiam Bartoli opinio in d.l.1. & Ias. in.l. cum quædam puella, nu. 10. de iurisd. om. iu. quam Aufre. vbi supra in. 11. fallentia dicit cõmunẽ & Couar. in d.c.32. nu. 4. versi. tertia conclusio. Verum tamen est quòd Couarr. multis rationibus sustinere conatur, degradationem non esse necessariam in clericis primæ tonsuræ. Et quoniam de his (vt supra dixi) non erit in præsenti tractandum, ideo circa dicta Couarru. non erit insistendum. Si ergo in prædicta quęstio ne pręsupponitur hunc condemnatum ad mortem suscepisse sacros ordines in fraudem sententiæ condemnatoriæ in eum latæ, quo casu licet de foro sæculari remaneat puniri tamen in corpore criminaliter non potest per sæcularem iudicem, nisi prius ab Episcopo degradetur, & curiæ sæculari tradatur, bene sequitur cognitionem huius rei ad iudicem ecclesiasticum pertinere, vt apud eum prius decidatur, an ille debeat priuilegio clericali gaudere, vel sit curiæ sæculari tradendus facta prius degradatione.

29 Hoc etiam * alijs rationibus tenet in similis casu Petr. Belug. in dict. Rub. de propositio. gratia minum. §. videamus, nu. 4. in fin. loquendo in clericis primæ tonsuræ. Inquit enim quòd si contra clericũ coniugatũ obijciatur, rea sumpsisse habitum & tonsuram in fraudem, & propter hoc ei priuilegium fori patrocinari non posse, talis quæstio nõ debet coram sæculari, sed ecclesiastico tractari

tractari per tex. in cap. si iudex laicus de sententia excommun. lib.6. quia probatio declaricatu est quidpiam spirituale, & propterea apud ecclesiasticum de illo conuenit agere, secundum not. per Bald.in.l.quoties.C.de iudicijs, & DD.per tex.ibi in cap.tuã de ordine cognitio.& per Innocen.in cap. cum sit generale de foro compe. dicentem, quòd in pertinentibus ad Ecclesiam, siue sit dubium iuris siue facti pertinet eorum cognitio ad ecclesiasticum. Fatetur tamen Petr.Belug. quòd sæcularis summariè se informare potest ad fine remittendi. Confirmatur ista Petri Belug. decisio, quia iure communi inspecto, non solum si declaricatu sit contentio, verum etiam de vestibus clericalibus & tonsura, huius negotij cognitio ad ecclesiacum iudicem pertinet. Vnde clericus coniugatus, qui tenetur probare se cum vnica & virgine contraxisse, & habitum clericalem habuisse tempore delicti, iuxta formam cap. 1. de cleri coniuga.lib.6. potest hoc probare coram ecclesiastico iudice, vt affirmãt omnes post Philip. Frã. in d.cap.1. Alexan.lib.2.consi.8. num.15.& fuit de mente Bal.in. l.si qua per calumniam num.3. C.de Epis.& cleri. & tenuerunt iudices de Rota decisio.202. Nimirum igitur si etiam apud iudicem ecclesiasticum tractetur, vtrum quis susceperit ordines in fraudem.

Iure tamen regio & stilo Curiæ inspecto, si loquimur in clericis primæ tonsuræ contrarium dicendum videtur, quoniam inter articulos compositiones & concordiæ factæ inter Regem Ioannem & clerum huius regni anno.1417. reperitur vnus in ordine.9. in lib.2. ordinationum, quæ extant in senatu & prætorib. causarum ciuilium, & in alio libro supremi Senatus supplicationis, per quem sæcularibus iudicibus permittitur cognitio de vestibus clericalibus & tonsura, & verũ clericus coniugatus vnicam tantum vxorem habuerit, vel scriptura tituli clericatus sit falsa, & ita quotidie apud nos sæculares iudices diriniuntur omnes quæstiones quæ super his casibus oriuntur. Et ita seruatum fuisse tempore aliorum Regum huius regni dicitur in dict. artic. 19. Et quamquam Guido Papæ quæst.138.& Ioan. Gallus quæst. 38. qui totis viribus conati sunt vsum forensem Galliæ defendere per quem cognitio de vestibus clericalibus & tonsura ad sæcularem iudicem pertinet, reprehendantur per Couarr. in d.lib. practi. quæstionum cap.33. in.3. colum.& affirmet ille opinionẽ illorum falsam esse, cum contendunt

dunt textum in d. c. si iudex laicus intelligi debere quando agitur de clericatu non de vestibus clericalibus, & tonsura, tamen de iure nostri Regni hoc expeditũ est, vt ad sæculares iudices pertineat. Casus autem supradictus in quo quis in fraudẽ ordinẽ suscepisset magis dubius videtur, an de illo ad sæcularem iudicẽ cognitio pertineat, quandoquidem articulus ille. 9. solum in tribus casibus iam dictis iurisdictionẽ sæcularibus iudicibus tribuit. Et alijs vero casibus, qui concernnnt validitatem clericatus, aut nullitatem tituli, non videtur quòd iudex sæcularis cognitionem habeat, per ea, quæ supradi-
30 cta sunt: & ideo nimis esset, dubitandum an nos sæculares iudices cognoscere posimus de exceptione obiecta contra validitatem clericatus; eo casu quo aduersarius probare intendit, dispensationem illegitimatis, qua interueniente, ordinem quis susceperit, inualidam esse, quia ordinatus dixit se naturalem, & ille spurius nõ naturalis erat: de quo agitatum fuit in processu cuiusdam Petri Arij Oppidi do Crato, me iudice, anno 1557. Quidquid tamen sit stylus Curiæ hoc permittit, fundatus, ratione tradita in d. art. 9. de quo, Deo volente, longior aliquando sermo fiet. Nunc autem sat sit, vt iam concludam, intrepide tenendum, quòd in clericis ad sacros ordines promotis, si inciderit quæstio, an in fraudem pœnæ ordinẽ susceperint, huius rei cognitio ad ecclesiasticum iudicem pertinebit, in clericis vero primæ tonsuræ sæculares iudices cognoscent.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum condemnatus ad mortẽ posit testari, vel saltem ad pias causas.

SVMMÆ.

1 *Damnatus ad mortem regulariter non potest testari cum communi: cuius rei ratio describitur n. 2.*

3 *Testamentum damnati factum pẽdente tempore dato ad appellandum, non valere iure cõmuni contra multos: sed in praxi non posse verificari ex Or. Regia ostẽditur.*

4 *Verus intellectus ad tex. in l. si quis filio exhæredato. §. eius qui deportatur. ff. de iniusto rupto.*

5 *Damnatus ad mortẽ per supremos iudices nõ potest testari: vnde duæ Regiæ Or, & alia iura clarè intelliguntur.*

6 *Asignatur solutio tex. in. l. si quis filio. §. hi autem versi. quid tamen ff. de iniust. rupt.*

7 *Quatuor ord. regia explicantur.*

8 *Quinq; modis posse condemnatum ad mortem euadere declaratur, sed in tribus non posse testamentum*

tum facere.

9 *Statutum habilitans personas prohibitas testari non comprehendit externos.*

10 *Auth. bona damnatorum. C. de bonis proscriptorum & Auth. sed hodie. C. de donatio. inter virum & vxorem exponuntur.*

11 *Condemnatum ad mortem & liberatum indulgentia principis posse testari, certi iuris est.*

12 *Non tamen, si solum indulgentia partis intercedat, valebit iure Regio testamentum nisi in casu vxoris adulteræ.*

13 *Condemnatus ad mortem in absentia per edita non potest testamentum condere, nec ab eo factum valet.*

14 *Condemnatum ad mortem non posse testari ad pias causas cum communi & num. 16. cum seq.*

15 *Epitaphium sepulchri Henrici filij Federici. 2. Imperatoris Bononiæ vetustissimum & notabile refertur.*

17 *Ord. Regia lib. 5. tit. 94. versi. porem, qua conceditur ad pias causas testamenti factio damnatis ad mortem optimè declaratur & nu. seq. ampliatur.*

20 *Condemnatus ad mortem non potest in testamento nominare ad emphyteusim etiam si mors sit ciuilis.*

21 *Intellectus Ord. Regia. lib. 4. tit. 63. §. & bem assi.*

1 OCcurrit etiam illud nõ minus quotidianũ quàm difficile an cõdemnatus ad mortem possit testamentum facere saltim ad pias causas. Pro cuius declaratione, primum præsupponendũ est quòd iure communi talis testari non potest per iura expressa in. l. eius. §. 1. ff. de testa. l. si quis filio exhæredato. §. irritum. ff. de iniust. rupt. l. qui vltimo. ff. de pœnis. Nam cũ ibi dicatur eos qui vltimo supplitio dãnantur, ciuitatem & libertatem amittere (serui enim pœnæ effecti sunt. §. pœnæ seruus insti. quib. mod. ius. pat. pot. solu.) necessario sequitur eos nõ esse capaces testamenti factionis quæ est de iure ciuili arg. l. qđ attinet. ff. de reg. iur. Cum igitur seruus, quoađ ea quę attinent ad ius ciuile, pro nihilo reputetur d. l. quod attinet. ff. de regu. iur. igitur &c. Facit. l. qui à latronibus. §. 1. ff. de testam. Ex quibus iuribus & ex tex. in. l. quidã sunt
2 serui. & l. qui vltimo. ff. de pœn. colligitur euidens illa ratio cur hi testari non possunt, quandoquidem, vt dixi, sunt effecti serui pœnę. Quod quidem non venit ab executione pœnæ capitalis, sed ab ipsa sententia condemnatoria, statim enim post ipsam sententiam, ante realem executionem efficiuntur serui pœnæ, & sic inhabiles ad testandũ, hoc probat text. in d. l. eius qui. §. 1. ibi

ibi ſententiam paſſus, vbi notant Bald. Ange. Raph. & Imol. quod clarius probatur in. dict. l. qui vltimo. ff. de pœn. in verbo. ſtatim, & in. l. quoad ſtatum. ff. eod. in verbo confeſtim. quod & tenent communiter DD. poſt Barto. in dict. l. qui vltimo in princ. quos refert, & ſequitur ex multis. Guilliel. Bened. in rep. capit. Rainutius in. 2. part. in verbo Mortuo itaque teſtatore o. 1. numer. 121. & 125. Sequitur etiam eximus doctor Anton. Gomez ſuper. ll. Tauri in. l. 4. columna. 2. Ex quo vltra eos venit neceſſario interpræandus text. in dict. l. quidam ſunt ſerui in verbo dati, vt cum dicit, quidam ſunt ſerui pœnæ, vt in metallum dati, intelligatur dati per ſententiam, non autem per effectualem executionem. Nam vt dictum & probatum eſt, ex ipſa prolatione ſententiæ, ſtatim irrogatur ſeruitus. Appellatione tamen pendente poſt condemnatus teſtamentum facere de iure ciuili: qui ſi ante prolationem ſententiæ, per quam confirmatur ſententia iudicis à quo deceſſerit, valebit teſtamentum: vt diſponunt iura expreſſa in dict. l. qui à latronibus. §. fin. de teſtam. & l. ſi quis filio. §. hi autem. ff. de iniuſ. rupt. Appellatio enim in tali caſu extinguit effectum ſententiæ, vt probat. l. furti. ff. de his qui notã. infam. l. 1. in fin. ff. ad Turpillia. Illud autẽ magis dubitabile eſt, an ſi teſtamentum fecerit pendente tempore dato ad appellandum, & moriatur, an teſtamentum valeat: in quo Bald. & Ang. in dict. l. qui à latronibus. §. fin. per glo. in. l. ex iudiciorum. de accuſatio. in glo. ſecuta, tenent, quòd valebit, vt idem ius ſit quando appellatio interpoſita eſt, & quando ſumus intra tempora data ad appellandum, vt habetur in. l. 1. ff. nil. non appellan. interp. Ad quod eſt melior text. de iure in cap. non ſolum de appel. lib. 6. Imol. tamen & alij communiter, vt teſtatur ibi Franc. de Aretio in. 3. colu. tenent contrarium, videlicet, quòd teſtamentum facere non poſſit, cùm ſtatim effectus fuit ſeruus pœnæ, & ſententia in hoc caſu ſecum habuit executionem iuris. Et reſpõdent ad iura allegata in contrarium, procedere quo ad executionem facti impediendi, tũc enim æquiparantur hæc duo, appellatum eſſe, & appellari poſſe per d. cap. non ſolum. Secus quoad executionem iuris, puta quoad effectum infamiæ, vel amiſſionẽ ciuitatis vt tradit Bart. in d. l. furti & in d. l. qui vltimo & Paul. poſt alios in. l. 1. ff. de re iud. & late per Imol. in d. l. qui à latronibus. §. fi. Ex quo male & perperam tenet quidam in additio. ad Anto. Cor

ſe. in

ſet.in ſingu. in verbo appellatio incipit item operatur, vbi tradit, teſtamentum valere ſi fiat intra tempus datum ad appellandum. Et quàmquàm hæc communis opinio impugnari poſſet ex traditis ſubtiliter more ſuo per Aretin., tamen in præſenti de ea re amplius tractare non opportet, tum vt ad alia deueniamus perquàm neceſſaria, tum etiam quia in noſtro regno hoc nunquàm verificari poteſt, quãdoquidem iudex qui ſentẽtiam in caſu mortis profert, ſemper tenetur appellare & appellat pro parte iuſtitiæ (vt aiunt) tunc enim iam appellatione pendente teſtamentum fieret, ſi fiat ante ſententiam iudicis ad quem.

Nec. illud ſupra proximè dictum de pendentia appellationis practicari poteſt in hoc regno, quoniam omnes ſententiæ inferentes pœnam mortis in prima inſtantia, confirmandæ ſunt per iudices ſuperiores, hoc eſt per Regios ſenatores. Docet enim communis practica & ſtilus curiæ Regiæ, quòd ſentẽtia iudicis à quo, per quam imponitur pœna mortis, nunquàm tranſire poteſt in rem iudicatam per deſertionem appellationis ex curſu temporis vt ſentit Ord. lib. 3. titu. 52. §. fin. quoniam licet iudex non appellaſſet pro parte iuſtitiæ (vt dicitur.) in quo litem ſuam faceret iuxta Ord. lib. 5. tit. 42. §. *Et en todos os caſos*, tamen condemnatus in omni tempore, & omni caſu admitteretur ad appellandum vt expræſſe dicit Ord. lib. 3. tit. 63. §. fin. Cum igitur hoc ita ſit, dicendum videtur, quòd etiam poſt latam ſentẽtiam in prima inſtantia, poterit condemnatus teſtamentum facere, ſiue quia pendet appellatio, vt dictum fuit, ſi modo appellatum eſt; ſiue quia talis ſententia omnino requirit confirmationem Regis, ideſt, Se-

4 natorum * eius, & hoc per text. ſingu. in. l. ſi quis filio exhæredato. §. eius qui deportatur. ff. de iniuſ. rup. vbi probatur, quòd ſi aliquis damnatur ab eo, cuius ſententia requirit ſuperioris confirmationem, & ante confirmationem condemnatus moritur naturaliter, teſtamentum eius mortem confirmatur, ſiue factum ſit ante, ſiue poſt illam ſententiam confirmatam. Et licet nonnulli exponant illum tex. in verbo deportatur. i. pronuntiatur deportandus per Præſidem, tamen ne violentia inferatur verbis iureconſulti, eſt intelligendus text. ille ſecundum Paul. quòd ſtat propriè verbum deportatur, vt ſit ſenſus, quòd Præſes prouintiæ ſententiam protulit in qua Titium deportauit, ſed quia talis Præſidis ſententia comprobationem principis exigebat,

gebat,

gebat, quia præses deportare nō poterat iuxta nota. in. l. illicitas. §. qui vniuersas. ff. de offic. Præsid. per.l.1.§. deportatos.ff. de legat. 3. ibi, cæterum priusquàm factum Præsidis Princeps comprobet, nondum amisisse ciuitatem videtur, ideo si moritur taliter condemnatus ante illam Principis confirmationem, testamētum eius valet. Et in hunc sensum summauit Bald. ibi, tex. cum dicit, sententia indigens confirmatione, non operatur suum effectum, nisi ex tempore confirmationis. Cum igitur in omni casu, in quo per sententiam iudicis inferioris, mortis pœna alicui irrogatur, necessaria sit Principis confirmatio, quę fit per Senatores eius, firmandum est, quòd ante istam sententiam confirmatoriam damnatus ad mortem testari poterit.

5 * Hinc dici potest, quòd hi, qui ad mortem damnantur per Præsides Curiæ regis, aut alios Senatores, qui lege permittente cognoscere possunt de criminibus, non per viam appellationis, sed actione nouiter intentata, non possint testamentum facere, cum ista sententia non indigeat Principis confirmatione, sed statim suum producat effectum, quia ab ea iam appellari non potest. Et licet in contrarium videatur Ordi. libro. 5. titulo. 60. §. 1. vbi dicitur, quòd nunquàm debet fieri executio pœnæ capitalis antequàm Regi hoc innotescat, & Ordi. librò. 1. titulo. 9. §. *E os feytos crimes*, quæ innuit confirmationem sententiæ necessariam esse, & docet stylus, quòd semper Rex de hoc certioratur, si ille est in ea ciuitate vel oppido, vbi executio sententiæ fieri debet: non tamen hoc obstat, quia illud non fit, vt illa sententia confirmetur per aliam sententiam, aut rescriptum Regis, sed vt ille sciat omnia, quæ in regno geruntur, & possit si velit pœnam remittere, aut illam in aliam mitiorem commutare. Nec obstabunt iura in.l. diui fratres. §. fin. de pœn. l. inter pœnas.ff.de interd.&.l.1. in princi. ff. quand. appe. sit, quæ iuncta cum d.§.eius, qui probare videntur quòd sententia per Præsidem lata, cuius ad Principem debet fieri relatio, non producit effectum suum, vt reddat damnatum intestabilem ante cō firmationem Principis: quia prędicta iura loquuntur in ea sententia, cuius effectus pendet à confirmatione Principis, iudiciario ordine seruato. Immo si rectè perpēdantur verba eorum, non loquuntur in casu, in quo diffinitiuè Præses sentētiam profert, sed quando ille interloquendo principi rescribit Titium deportandum

portandum esse, vt innuere videtur tex. in d. l. 1. ibi in insulam deportandum & d. l. inter pœnas ibi, in insulam deportandum putant. Et licet in dictis iuribus dicatur, sententiam latam esse à Præside, & sic diffinitiuè, per verbum condemno Præses pronuntiauerit, quod & verius videtur, tamen non sic contingit in illis iuribus, prout in terminis Ordina. inspectis eius verbis. Nã in dictis iuribus omnino constat, sententiam Principis confirmatoriam debere interuenire, vt illa Præsidis comprobetur. Nam Præses prouinciæ deportare non poterat. l. 1. §. hi quibus. ff. de lega. 3. & habetur in l. illicitas. §. qui vniuersas. ff. de offic. Præsid. & ideo requirebatur Principis confirmatio, iudiciario ordine seruato. At vero in casu dictæ Ordinationis solum certioratur Princeps, vt sciat executionem talis sententiæ latæ in tali casu faciendam esse, non vero certioratur ad finem dandi confirmationem iudicario ordine seruato, cum illa lata sit ab his à quibus appellare non licet.

6 Nec obstat * tex. in d. l. siquis filio. §. hi autem versic. quid tamen. ff. de iniust. rupt. ibi enim ex mente Ioan. de Imol. Paul. Bald. & aliorum est text. quòd sententia lata, quæ potest rescindi, etiam alio modo, quàm per appellationem, non tollit interim testamenti factionem. Dicitur enim ibi, quòd si condemnatus appellauerit, & appellatio recepta non est, sed Imperatori scribendo, pœnam remoratus est Præses, interim statum suum retinet condemnatus, quia responderem quòd ille text. loquitur in casu in quo appellari poterat, sed Præses ex causa appellationem non recepit, scripsitque Imperatori cur illud faceret. Ideo rectè interim statum suum retinet condemnatus, quia possibile est, Principem velle quòd appellatio recipiatur, & rescindatur sententia. At verò in casu Ordinationis cum à sententia lata in Senatu per Præsidem iam appellari non liceat, non certioratur Princeps ad hũc finem, vt appellationem recipi iubeat, sed vt ei res hæc tanti ponderis innotescat. Et ideo ex prædictis sum in ea opinione, vt condemnatus ad mortem per sententiam Præsidis Curiæ Regiæ in Senatu latã, iam non possit testamentum facere, pendente tempore certiorandi Regem, immo & testamentum quod antea factum habebat, irritum fieri, & eum mori ab intestato dicerem. Non tamen negarem, quod nimis obstare videtur, quòd possibile est Regem ex causa sentẽtiam reuocare posse,

& ideo sumus in terminis illius conclusionis Doctorum, vt sententia quæ etiã alio modo quàm per appellationem rescindi potest, non tollat interim damnato testamenti factionem.

Et retenta hac opinione dicendum videtur, quòd in his omnibus casibus, de quibus fit mentio in multis legibus regni, in quibus lata sententia per quam quis ad mortem condemnatur, non mittitur statim executioni, antequàm de hoc Rex certioretur, quòd statim lata sententia, condemnatus amittat testamenti factionem, & efficiatur seruus pœnæ, etiam ante diem certiorationis. Talis namq; certioratio non fit ad finem comprobandi sententiam, & est casus in Ord. lib. 5. tit. 15. post princ. vbi dicitur quòd si accusatus de adulterio est miles, aut generosus, & maritus adulteræ plebeus, nihilominus adulter ad mortem condemnabitur, non tamen mortis fiet executio antequàm Rex de hoc certioretur. Est & secundus casus in d. lib. 5. tit. 19. §. 1. de eo qui duas vxores duxit, quarum secũda ignobilis est & plebea, & accusatus est nobilis vel minor. 25 annis, vel accusatus cũ secundã vxorem duxit, probabilẽ habuit causam ignorandi primã vxorẽ viuere tẽpore secundi matrimonij. In his enim casibus & similibus dicit tex. quòd si iste condẽnetur ad mortẽ, non debet in eo fieri executio, antequã Princeps certioretur. Est & tertius casus, lib. 5. tit. 112. §. 1. vbi tex. imponit pœnam mortis his, qui depræhensi fuerint intra limites nauigationis Guineæ & Indiæ, licet nil aliud per illam legem prohibitum fecissent, dicit tamen tex. quòd executio pœnæ mortis nõ fiat antequàm Princeps certioretur. Sed est aduertendũ, quòd in isto casu, & in primo casu supradicto videntur verba legis innuere necessariam esse Regis confirmationẽ per eius mandatũ, vt patet in d. Ordi. d. tit. 15. ibi, *atee nolo fazerẽ saben & veren sobre isso nosso mandado.* Et in d. tit. 112. ibi, *pera sobre isso mandarmos o que ouuermos por mais nosso seruiço.* Item & in alio quarto casu in lib. 5. tit. 18. §. 1. vbi loquitur in condemnato ad mortem ob id quod rem habuerit cum famula eius, cui seruiebat ibi, *nam se faraa execuçam atee nolo fazeren saber, pera vermos ho caso com suas qualidades & circunstancias, & assi mandarmos o que for nossa merce.* Vnde cum mandatum Regis requiratur ad executionem sententiæ faciendam, & aliter fieri non possit, iuxta prædicta iura, videtur quòd confirmatio sententiæ requiratur, & per consequẽs quòd ante istam cõfirmationem iste

iste condemnatus retineat testamenti factionem, videlicet in his tribus casibus, & alijs siqui sunt, quandoquidem ordinatio loquitur per verba, quæ reseruasse videntur approbationem ipsi Regi.

His tamen non obstantibus, teneo, quòd & in his casibus, statim lata sententia, condemnatus amittat testamenti factionem. Considero ad hoc quòd ea, quæ tacitè insunt, si exprimantur per eundem modum, per quem insunt, nil operari debent, iuxta notata in l. si ita legatum. §. illi si volet. ff. de legat. 1.

Vnde cum tacitè insit, quòd Principe certiorato de aliqua re, posit ille contrarium iubere, saltem suadente causa rationabili, & ad hunc finem fit illa certioratio, merito si à lege hoc exprimatur, vt prædictę leges exprimunt, nil noui operari debet hęc expręssio, seu declaratio.

8 Oritur ex pręcedentibus quęstio, an is, qui ad mortem condẽnatus fuit, posit testamentum facere, eo casu, quo mortem euaderet. Circa quod considerandum est, quod multis modis infra dicendis euadere potuit. Aut enim aufugit de carcere, cum iam condemnatus esset. Aut cum ad suppliciũ duceretur ereptus fuit ab amicis, vel cõsanguineis. Aut euasit ob indulgentiam Principis. Quarto euadere potuit ex consensu partis, ad cuius vindictã executio sentẽtiæ capitalis pertinet. Quinto etiam mortẽ euadere potest, quia sententia fertur in eum, cũ absens sit, per quã ad mortem condemnatur. Circa primũ & secũdum casum dicendũ est, quòd si aliquis ad mortem condemnatus aufugeret de carcere, vel quãdo ad supplicium duceretur, eriperetur per vim, manu priuata, de manibus eorum, qui illum ad supplicium ducebant, (vt iam aliquando in hoc regno contigit) non posset testamentum vllo modo facere, nec factũ ante condemnationem valeret, statim enim, & eo ipso quòd sentẽtia cõtra illum lata fuit, effectus est seruus pœnæ, & reditus est intestabilis, vt supradictum est, adeo quòd irritatur testamentum eius antea factum, vt in dict. l. si quis filio. §. irritum. ff. de iniusto rupto irritoque facto testamento. Pro hoc allegauit Angel. in dict. l. eius qui. §. 1. ff. de testamen. textum in dict. §. irritum, ex quo bene probatur conclusio ista, in verbo sententiam passus, iuncta glos. quæ notat ex tex. sentẽtiam istam, statim trahere secum executionem. Pro quo etiam est tex. singul. quem citat Guillel. Benedict. loco vbi supra, num. 121 in l. mulier in opus. ff. de captiuis, & postlim. reuers. inquit

enim quòd mulier in opus salinarum ob maleficium data, si à latrunculis capiatur, & vendatur, licet postea redempta sit, in causam suam incidet, & redemptori à fisco pretium reddendũ est. Facit, quia ex facto improbabili, immo & culpabili non debet quis commodũ reportare. Nam qui in carcere est, & iam condemnatus, si aufugit, pœnam meretur, siue per vim aliorum hominum carceris efractorum, siue per se ipsum nulla vi interueniente aufugiat, secundum distinctionem Ordi. lib. 5. tit. 35. Facit ad idem quod late tradit Bar. in. l. cunctos populos in ante pen. col. nu. 50. versi. vltimo quęro vbi concludit, quòd effectus pœnæ extenditur extra territoriũ iudicantis, quando pœna respicit infamiã aut diminutionem status, per text. & ibi notata in. l. ex ea. ff. de postula. Ex quo ille infert expresse in casu isto, quòd si aliquis est ad mortem condemnatus, quo casu dicitur eius status minui. l. cognitionum. §. æstimatio. ff. de var. & extraord. cogni. si eripitur à morte per aliquos violenter, iam amplius testamentum facere non potest, etiam si fuerit extra territorium iudicantis: quod tenet Abb. in cap. postulasti de for. compe. num. 11. Et
9 ob id audacter * firmarẽ, quod si in hoc regno aliquis fuisset ad mortẽ damnatus per sententiã, à qua iã appellari nõ posset, & carcere effracto, aut ereptus à manibus familiæ Præsidis in prouinciã aliquã regni Castellæ fugeret, vbi viget lex illa Tauri. 4. in ordine, quę habilitat dãnatos ad mortẽ, vt testamentũ facere possint, si illud faciat non valebit. Confirmatur hoc ex nota. per Bar. in. d. l. cunctos populos num. 39. cum seq. & resoluit Ias. ibi. n. 86. quòd statutũ habilitans personã prohibitam testari de iure cõmuni ad testandũ, non compræhendit forenses, nec eos habilitare potest. Cum itaq; iure cõmuni damnati ad mortem testamentum facere prohibeantur, nõ possunt per statutum habilitari ad testandum si forenses sunt. Et reperio, quòd Ioan. Bapt. de Cacialup. in d. l. cũctos populos in. 60. colu. nu. 145. tenet expræsse, quòd statutum Senense, habilitans damnatos ad mortem vt testari possint, non compræhendit forensem etiam testantem Senis.

10 Nec putet aliquis quòd iure * hodierno hæc omnia cessant per Auth. bona damnatorũ. C. de bon. proscripto. quæ corrigit iura per quæ bona damnatorum publicabantur & fisco applicabã tur, quoniã illo tex. nõ obstante, damnatus ad mortẽ statim reditur intestabilis, licet eius bona publicata non sint, quia publicatio bono

bonorum non erat, nec est causa illa, per quam irritatur testamentum, sed est pœna ipsa capitalis, propter quam perditur ciuitas & libertas, & statim effectus est iste seruus pœnæ. Hoc tenet Barto. post glo. in d.l. eius qui. §. 1. vbi clarius Paul. num. 10. & Bald. in l.3.C. si pend. appel. mors interu Ange. quem refert & sequitur Ias. in.l.2.in fin.col.in. fin.C. qui testa. fac. pos. Vnde sine dubio generaliter hodie in regno nostro condemnatus ad mortem, etiam in casu, in quo bona eius non publicantur, vt est in casu ord. lib. 2. titu. *dos dereitos reaes*. §.item, *os bees dos condenados*, testamentum facere non poterit. Nec item obstat tex. in Authen. Sed hodie. C. de donatio. inter vir. & vxor. cum inquit, quòd hodie nemo bene natus ex supplicio seruus efficitur, quia ex communi, omnium resolutione tex. ille non habet locum nisi in his, qui post condemnationem viuere debent, vt sunt deportati & similes, non vero in his, qui mori debent, hi enim statim lata sententia serui pœnæ efficiuntur vt per Bart. ibi & vbique affirmat enim hanc esse communem Aretin. in d.§. eius qui in vltimo nota. Nec in præsenti tractandum erit, de intellectu dictæ Authen. bona damnatorum, de quo Aretin. ibi late tractauit post Bar. in.l.1.C. de bon. damna. quoniã agendum est in præsenti solũmodo circa testamenti factionẽ, non circa publicationẽ bonorũ.

11 In tertio vero casu, quando condemnatus ad mortem liberatur à pœna mortis per indulgentiam Principis, tunc certi iuris est, eum posse testamentum facere, ad quod licet Guilliel. in d. c. Rainuncius in verb. mortuo itaq; testatore in.1. nu. 179. allegauerit tex. in.l. relegati in fin. ff. de pœn. non tamen ex illo hoc satis probatur. Hoc solum namq; dicit, vt exuli nemo alius comeatũ remeatumue dare possit, nisi Imperator. Pro hac tamen cõclusione est tex. in allegata.l. Si quis filio.§.pen. versi. ergo & si quis, cuius verba sunt. Ergo & si quis dãnatus capite in integrum indulgentia Principis sit restitutus, testamentum eius conualescet. Facit ad idem tex. in.l.1.§.si quis. ff. de lega.3. tex. etiam in.l. fi. C. de senten. pass. Dubium tamen est, quia tex. in d.§. si quis, dicit, si in eadem volũtate durauit, an opus sit, vt de nouo declaretur per hũc restitutum, se velle cum testamento antea facto manere, an illud tale testamentum reconualescat ipso iure: quod verius videtur Bart. in d.l. si quis filio.§.pe.

12 In quarto casu quando ex cõsensu partis cõdemnatus liberatur, dicerem q iure cõmuni idẽ

ſit dicendum, quod in ſuperiori caſu dictum fuit, per text. ſingu. in l. fin. ff. de legatio. In quo concluditur, poſt relationem aliquarum opinionum, quòd is, qui legatum alicuius gentis Romę exiſtentis pulſaſſet, & ob id deditus fuiſſet hoſtibus, qui eum non acceperunt, ciuis Romanus eſſet. Iure autem regni nullo modo caſum iſtum practicari poſſe conſtat, quia in crimine, propter quod aliquis ad mortem cõdemnatur, ſi aliquis eum accuſat, licet iniuriam, & intereſſe ſuum remittat, Rex tamen contra eum procedere iubet ad vindictam publicam. Vnde licet accuſator noluerit ſententiam mortis in cõdemnato exequi, non ideo tamẽ ille liberabitur, niſi etiam indulgentia Principis interueniat, quę interuenire non conſueuit, imo non poteſt, niſi accuſatoris prius interueniat iniuriæ & damni remiſſio, quæ, vt dixi, ſola non ſufficit ad totalem pœnæ remiſſionem. Cum igitur ſemper neceſſe ſit vt Principis indulgentia intercedat ad liberandũ quem ab executione ſententiæ mortis, iam quidem non poterit iſte ab accuſatore dimiſſus teſtamentum facere, cum iſte condemnatus non ob hoc omnino liberetur, niſi Principis indulgentia interueniat, qua interueniente, iam nõ dicemus, hunc teſtamentũ poſſe facere, ea ratione, quòd is, in cuius fauorẽ lata fuit ſententia, ius ſuum remiſit, ſed quia iſte condemnatus reſtitutus fuit ex Principis indulgentia: quo caſu bene quidem poterit facere teſtamentum, imo & antea factum conualeſcet, vt dictum fuit. Hoc tamẽ limitandum eſt, in caſu mulieris damnatæ propter adulterium, tunc enim etiam iure regni iſte quartus caſus practicari poteſt, quoniam ſi maritus pepercit vxori iam condemnatæ, ſtatim illa liberatur à pœna mortis nulla alia Regis interueniẽte venia, iuxta Ordi. lib. 5. tit. 15. §. *Et poſto que o marido.* Vnde ſi talis vxor ad mortem condemnata teſtamentum antea feciſſet, licet per damnationem irritum manſerit, tamen interueniente mariti venia, iam quidem reconualeſcit, aut ſi mauult de nouo teſtari poterit.

13 * In quinto caſu eſt aduertendũ, quia licet multa dici poſſent ex traditis latiſſime per Guilliel. in loco vbi ſupra, nu. 148. tamen breuiſſime agam de hac re conſideratis legibus huius regni, quę contra abſentes procedere iubent ſeruatis ſolemnitatibus iudicij, de quibus in lib. 5. tit. 44. *De como ſe procederaa por editos contra os abſentes.* Et aduertendum eſt, quòd licet Bald. in d. l. eius qui §. 1. poſt latam diſputationem concluſerit hunc in abſentia condemnatum

demnatum interim testari posse, vel si testamẽtum antea fecisset, & antequàm in potestatem iudicis veniret, decederet, tale testamentum valeret, vt etiam dicit idem Bal. & Imol. in l. seruo legato. §. fi. ff. de leg. 1. ea ratione, quia sententia profertur conditionaliter, scilicet, si iste in forciam venerit, vt dicitur in clemen. pastoralis de re iudi. & ideo cum sententia conditionalis sit, non sortitur effectum nisi impleta conditione. l. 1. §. biduum. ff. quando appel. sit. Atamen dicit Gullielm. in præalleg. loco, quòd in regno Franciæ statim iste absens ad mortem condemnatus efficeretur seruus pœnæ, quia ob antiquam consuetudinem regni, & stilum Curiæ Francorum proceditur contra absentem contumacem, qui quidem habetur pro confesso post citationem factam tribus ædictis debita temporum interualla continentibus, iuxtà stilum & mores regionum aut ciuitatum in quibus causa tractanda est, vt ille inquit, nu. 155. His enim moribus standum est, secundum Bar. in l. 1. §. Præsides. ff. de requir. reis. Cum igitur in regno nostro non stilus, aut consuetudo hoc statuerit, sed lex ipsa iubeat in absentem ferri sententiam seruatis his, quæ habentur in d. Ord. l. 5. titul. 44. & docet stilus, quòd sententia nõ conditionaliter proferenda est, sed putẽ reus condemnatur: & in fine sententiæ adijciuntur solùmmodo verba, per quæ mandatur iudicibus, alijsque potestatibus regni, vt diligentiam adhibeant ad hũc condemnatum incarcerandũ, vt in eo executio mortis fiat. Ideò audacter firmandum est, quòd etiam is condemnatus in absentia non posit testari, imò testamentum quod antea factum habebat, statim irritum fieri.

14 His sic visis vidẽdũ hũc est, an cõdemnatus ad mortẽ posit testamentum facere saltim ad pias causas. Bart. in l. 1. num. 26. C. de Sacros. Eccles. tenuit non posse eum testari etiam ad pias causas. Mouetur illa ratione, quia cum efficiatur seruus per cõdemnationem, testamẽti factionem habere non potest. l. eius. §. 1. de testam. Et quamquàm dispensatum sit per. l. 1. C. de sacros. Eccle si. quòd libere quilibet ad pias causa testari posit, tamen secundum illum, illa dispensatio venit super defectibus, qui sunt circa personam testantis, vel eius dispositionem de iure ciuili, vt per Bart. in d. l. 1. nu. 6. in fin. Sed defectus seruitutis inducitur à iure gentium. l. 4. ff. de statu. homi. ergo sicut in alijs testamentis, ita & in testamento ad pias causas non poterit seruus testari. Pro quo dicit Bartol. facere. l.

neque enim.§.1.de mili. teſtam. quã nos inducere debemus iuncta.l.facere.ff.eod.Conſtat enim vt ille declarat in d.l.neq; enim, quòd licet militibus per ius ciuile conceſſum ſit poſſe teſtari quo modo velint.l.1.ff. eod. & ſic cũ eis eſt latè diſpenſatum, quòd talis diſpenſatio non porrigitur niſi ad defectus in teſtatore, vel teſtamento exiſtentes,quando proueniunt ob defectum iuris ciuilis,non autem illa diſpenſatio venit ſuper impedimentis iuriſgentium.Et ideo cum ſeruitus ſit huius iuris,neque miles ſi ſeruus hoſtium eſt,teſtamentum facere poteſt, dict. l. facere neque ſeruum pœnæ inſtituere poteſt, dict.l. neque enim poſt princ. Sic igitur concludendo vult Bartol, (licet non tã latè loquatur) quòd licet teſtator ad pias cauſas teſtari poſsit,non obſtante aliquo defectu iuris ciuilis circa perſonam teſtantis d.l.1.C.de ſacro.Eccleſ. & ibi Bart.num.6.& num.17. nõ tamen per illam legem diſpenſatum videtur contra defectum exiſtentem in perſona teſtantis de iure gentium.Et ideo cum ſeruus pœnæ teſtari nõ poſsit, quia patitur defectus iurisgentium, quem ius ciuile tollere non potuit,ita nec poterit talis ſeruus teſtari ad pias cauſas, quandoquidem defectus ſeruitutis, quæ eſt de iuregentium, non afertur per d.l.1.C.de ſacroſ.Eccleſ. Nec obſtat, vt inquit Bart. quòd in caſu prædicto ſeruitus ſit introducta per actum iuris ciuilis, ſcilicet per ſententiam condemnationis quia ſeruitus ipſa poſtquàm conſtituta eſt, non de iure ciuili eſt, ſed de iuregentium. Simile eſt vltra Bar.in dominio rerum, quod quamquàm acquiratur aliquando per modos iuris ciuilis puta per vſucapionem, vel ſentẽtiam, vel aditionem, tamen poſtquàm illud eſt deductum in eſſe,non dicitur iuris ciuilis,ſed iurisgentiũ, vt concludunt magis communiter DD. in l. ex hoc iure contra Bald. ff.de iuſt.& iur.& ſubtiliter Aret.in l. teſtamenti factio. in fi. de teſtam. contra Paul.ibi.

Et ex hac Bart.ratione ſine dubio videtur dicendum quòd vera ſit determinatio Ioan. Andr. in addic.ad ſpecul.in titul. de inſtrum. editi. in. §. compendioſe verſi. 15.is qui apud hoſtes vbi dicit non valuiſſe teſtamentum factum ab Henrico filio Imperatoris Federici. II. qui captus fuit à Bononienſibus, & ibi teſtamentum fecit,ibiq; mortuus cum ſeruus hoſtium eſſet, de cuius dicti veritate nunc agendum non eſt, hanc enim rem,non ſolum veteres annales referunt,ſed & hodie
15 extat * Bononiæ, in templo ſancti Dominici epitaphium ſepulchri in marmori deaurato deſcriptum

ptum, quod huius rei testimoniũ probet. Quod quidem inter alia memoratu digna illustrium virorum, cum Bononiæ essem, transcripsi. Hoc autem Henrici Ordine idest scripto literis latinis vetustate sic corrosis, vt vix legi queat sic se habet.

CHRISTO OPT. MAX.

Viator quisquis es siste gradum, & quod scriptum est per lege, vbi perlegeris pensita hoc is cuius causa scriptum est fieri rogat.

Orto inter Bononienses ac Mucinenses bello Cæsar
Federicus II. Romanus Imperator filium Henricum Sardiniæ ac
Maioricæ insularum Regem Mutinensibus suppetias ferre
Iubet, qui inito apud diui Ambrosij pontem certamine, à
Bononiensibus capitur, nullaque re, vt dimittatur impetrat.
Cum pater minis, dein precibus, & pretio deprecatoribus,
Ut detur cum tantum auri pro redimendo filio pollicetur
Quantum ad mœnia Bononiæ circulo aureo cingenda
Suficeret, sic captiuus. 22. annos menses. 9. dies. 16.
Tenetur, aliturq; Regio more publica Bononiensium
Impensa, sic defunctus magnificentissime ac pientiss. funeratus hic tumulatur.
Præterea simulacrum hoc in perpetuum monumentum & hosti, & captiuo.

S.P.Q.B.PO.

ANNO SALV. M.CCLXXII.

Mar. Hoc volebam, vt scires Abi & vale.

Instauratum ære publico Autore Io. Francisco,
Aldrouando Dictatore, Consule Q. Bono.

1 Alio & secundo fundamento vtitur Bar. ad fundádã prędictam opinionem. Inquit enim quòd. l. 1. de sacros. Eccles. permittit cuilibet de bonis suis libere disponere in testamento ad pias causas, non autem de bonis alienis. Iniquum enim hoc esset, cum vero damnatus ad mortem, sententia lata libertatem perdit, & amittit omnia bona igitur, &c. Nec obstat, si dicamus, dari posse casus, vbi damnatus non amittit bona, vt sunt multi de iure regni. Imponunt enim passim leges regni pœnam mortis pro delicto commisso, & nisi publicationem bonorum exprimant, illa non fit. Bar. namque in tertio fundamento tacite respondet huic obiectioni, quòd quamquàm iure hodierno, bona in aliquibus casibus non publicantur, tamen applicãtur his, de quibus in Authen. bona damnatorũ. & est hodie apud nos expressum in Ordina. lib. 2.

 titul.

tit. 15. *dos dereitos Reaes. §. Item os bẽes dos condemnados*, vbi dicitur quòd bona dãnatorum ad mortem pertinent ad ascendentes, vel descendentes vsque ad tertium gradum: quibus defficientibus fisco applicantur. Vnde ex mente Bart. non est dare mediũ. Nam aut committitur delictum propter quod, iubente lege, aliquis ad mortem condemnatur, & bona eorum publicantur, & hoc casu sine dubio procedit prędictum Bar. fundamentum. Aut quis committit delictum, propter quod solum ad mortem damnatur, & tunc si descendentes, aut ascendẽtes habet vsq; ad tertiũ gradũ, illis bona applicata sunt per iura prædicta. Aut ille ascendẽtes, vel descẽdentes non habet & tunc prædictę leges fisco bona damnati applicant. Et sic in his duobus casibus militaret tertiũ fundamentum Bart. quod ideo iste talis damnatus non posset testari ad pias causas, ne priuilegia data causis pijs tendant in præiudicium aliorum: quod fieri non debet, vt in simili concludit idem Bart. in d. l. 1. num. 24. & hoc Bar. fundamentum sumpsit Abb. in consi. 63. num. 5. in. 1. vol. Ex quo enim bona damnatorum alijs deferuntur per legem, pro non dato haberi debet, quod donatur ab eo qui de iure donare non potest. l. traditio de acqui. rer. domin. c. quod autem de iur. patronat. cum simili. Hanc Bar. opinionẽ, quòd nec ad pias causas damnatus ad mortem testari possit, tenuerunt Ioan. Ana. in c. quamquàm de vsur. lib. 6. Bal. in. l. eius qui. §. 1. de testam. Abb. in c. accedens de procurato. Ange. in. §. fi. quib. non est permiss. fac. testam. & multi alij DD. & est communis opinio secundum Alexan. in consi. 132. nu. 6. in. 5. volum.

17 Sed quoniam legem habemus & Rege pientissimo, & regno Christianissimo dignam, lib. 5. tit. 94. *Em que casos o condemnado aa morte poderaa fazer testamento*, quæ contraria est iuri communi, per quam permissum videtur, quòd damnatus ad mortem testari poterit ad pias causas, ideo de eius intellectu tractandum est sine veritatis præiuditio. Text. ibi postquàm posuit regulam, quòd damnatus ad mortem testamentum facere non possit, subiungit hæc verba (quælibet transcribere tum quia memoratu dignissima sunt, tum quia ob id facilius ante oculos habere possimus veram eorum declarationem. *Porem considerando nos acerca disto, por nos parecer cousa muyto graue, & em algũa maneira contra a humanidade, porq̃ a pena corporal, por qualquer delicto que seja dada, he pera a justiça satisfatoria, & pera o bem da alma não deue auer tanto logar, que o que cada hũm*

hum pera saluaçāo della e remimento de suas culpas ante nosso Senhor pode fazer de seus bēes, lhe seja em todo tolhido, posto que por assi ser à morte cō denado por seruo da pena deua ser auido. Pelo qual por este respecto principalmente, & por ho auermos por seruiço de Deos, & bem de muytas almas, cujos corpos por justiza padecē: auemos por bem & determinamos, que quaesquer pessoas, que por justiza ouueren de padecer, possam fazer seus testamentos, pera em elles somente tomar suas terzas, & dispor dellas distribuindoas em tirar catiuos, & em casar orfaās, & em fazer esmolas aos hospitaes, & em mandar dizer missas, & pera corrigimento de moesteiros & igrejas. E em outras algūas cousas & despesas, nam poderàm as ditas terças destribuir. Et per ista vltima verba videtur dicendum, quòd iure regni, damnatus ad mortem non possit testari ad pias causas, præterquàm ad eas, quæ specialiter enumerantur hic: quandoquidem post enumerationē quamplurimum specierum, ibi, *em tirar catiuos, & em casar orfaās, &c.* Subiungit lex ista, *& em outras algūas cousas, & despesas nam poderàm as ditas terças destribuir.* Pro hac parte facere videtur verbum taxatiuum positum in superiori parte tex. si illud continuatiuè referamus ad sequentia. Item & hanc partem adiuuat, quod vulgo dicitur, qui de vno affirmat, de alio negare videtur. l. cum Prætor de iudic. c. non ne de præsumptio. Item si lex vellet generaliter disponere, vt damnatus ad mortem posset ad pias causas testari, id expræssisset, quod cum non fiat, igitur, &c. arg. c. ad audientiam de decim. Verumtamen fatemur nimis obstare contra hanc declarationem mens & tacita ratio quæ colligitur ex prohœmio ibi, *& pera hò bem da alma,* & ibi, *pera saluaçam della.*

Quæ quidem verba in prohœmio decisionis posita nimis attendi debent, iuxta tex. in. l. fin. ff. de hæredi. insti. de quo per Soci. in. l. demonstratio. §. quod autem col. 2. de condi. & demonst. Mihi itaq; verius videtur dicendum, quòd lex illa, voluerit facultatē testandi concedere damnatis, non solum in his casibus ibi expressim enumeratis, sed & etiam in alijs quibuslibet, in quibus ille ad alias pias causas testaretur de tertia parte suorum bonorum. Moueor, vt dixi, quia prohœmialis ratio, seu causa hoc innuere videtur, tum etiam quia exempla ibi posita non debent arctare regulam. l. damni infecti. l. 2. ff. de dam. infecto.

Constat etiam ex communi resolutione DD. post Areti. in. l. stip. ista in princ. & latissime Ias. in

in.l.1.num.11.cum seq.ff.si quis ius dicen.non obtemp. quæ habet, quòd dictio taxatiua licet excludat, nõ tamẽ excludit casus similes, per tex.cum glo.in.l.ob ęs. C.de præd. mino. & licet Alcia. lib.4. dispunctio. cap.4. conetur sustentare, quòd ille tex.hoc non probat si punctetur verbum alienum, vt sequatur, tantum causa cognita; idest, solummodo causa cognita. Tamen, viso intio, prędicta est communis, ex glo.Bart. & alijs in.l.serui nomine.ff. de vsucapio, & facit.l.1.§. 1. ff. si mens. falsi.modo dixe. Licet ergo illa dictio taxatiua, *soomente*, referatur ad casus supra enumeratos, non tamen illa excludit casus similes.

18 Mouetur etiam, quia quamquam priuilegium datum alicui contra legem communem debeat strictè interpretari, vt per glo.magistram in cap.1. de constitu.lib.6.habetur per Archidia. in.c.frater.16.q.1. & per DD.in. l.si quando. C. de inoffi.testam. quã nos nõ sine nomine in punctis legimus Conimbricæ anno. 1542. Cum ad primã laureã in iure ciuili contenderemus, & habetur per Ias.in.l.fi.nu.33.de constitu.prin.tamen illud non intelligitur, quando tractaremus de interprætatione priuilegij concessi contra ipsum cõcedentem. Tunc enim nõ strictè, sed latè extendi & interprætari dicitur. Vt in specie concludit Alex.in.6.volu.cons.110.nu.14.&.15.per nota.per DD.in.c.olim tibi de verbo. signifi.& in cap.dilecti de donatio. Vnde sine dubio dicerem, quòd in casu, quo damnatus ad mortem perderet bona applicãda fisco, aut virtute legis regni in titu.*dos dereitos Reaes.* §. *Item os bẽes dos condemnados*, aut quia expræssim in sententia dictum fuit vt bona fisco applicentur, certe iste testari poterit ad pias causas, non solum ad eas, quæ specialiter enumeratæ sunt in prædicta ordin. verum etiam ad quaslibet alias causas similes, relinquendo tertiam suorum bonorũ persõnis miserabilibus, puta pupillis, viduis, peregrinis, aut infantibus expositis. Hęc enim omnia & similia inter causas pias computari debent, secundum specula.in titu. de instrum. editio.§.nunc vero aliqua versi. & scias num.62. & facit text.in c.2.77.di.& hoc vt priuilegium testandi datũ his dãnatis ad mortem latè interprætetur & extendatur contra concedentem.

In alio vero casu, quando bona deberent ad ascendentes vel descendentes deuenire iuxta formam.d. Ord. *dos dereitos Reaes*, & in Authent. bona damnatorum, non dicerem contrarium, imò idẽ quòd superius dixi. Nec obstat

obstat, quòd priuilegium seu beneficium Principis non debet extendi, nec intelligi contra iura alterius. l. impuberi. ff. de admin. tuto. ibi, priuilegium militum ad alienam iniuriam porrigi non potest, & l. cum filius fa. ff. de mili. testam. ibi, miles qualem vellet substitutionem facere, ius autem alienum minuere non potest, & facit. l. 4. C. de emancipa. vbi Imperator dicit, nec moris est nostri cum iniuria cuiusq; beneficium tribuere. Maximè quòd in præsenti priuilegium magis quàm beneficium dici potest, cùm leges priuet iuxta text. & ibi no. in c. priuilegia di. 3. quoniam ad hęc omnia, & alia multa, quæ in simili allegari possunt, respondetur, quod in claris non est opus coniecturis. Vnde cum Princeps id voluerit motus illa pia ac eleganti ratione, de qua in d. Ord. l. 5. supra relata, nil vlterius quærendum est. Voluisse autē hoc Principem iustisimum conditorem huius legis nemo negabit, si hæc recto iuditio considerauerit, inspiciendo causam positam in prohœmio dictæ Ord. Quę quidem cum prohœmialis sit, finalis videtur esse, secundum nota. in d. l. fi. ff. de hæred. insti. illo etiam adiecto, quòd nulla ratio diuersitatis asignari potest, cur magis voluerit ordinatio facultatem testandi concedere damnatis in illis casibus ibi specificatis, quàm in alijs similibus, in quibus damnatus testaretur ad alias pias causas illis similes. Pro hoc facit, quia de iure id seruandum est, licet non sit expræssum verbis, quod verosimile est statutum iri, si de hoc quæsitum esset, prout dicit glos. sing. in l. tale pactum. §. fin. ff. de pact. Pro qua optimè facit tex. notabilis in l. Barbarius in fi. de offi. præto. ibi, set etsi scisset eum seruum liberum eum fecisset, facit l. 1. in fi. ff. vbi pupi. educa. deb. ibi, cæterum si esset relicturus. Facit & illud, quòd dispositio facta in vno casu, intelligitur & in alio de quo verosimiliter disponens idem dixisset, si de eo interrogaretur, maximè in dispositionibus Principum, vt inquit Bald. quem sequitur Paul. ibi num. 5. in d. §. fi.

19 Ex præcedentibus decidi potest quæstio singularis, quæ talis est: quidam maioratum posidebat cum onere faciendi celebrare quinque missas per singulos annos in die commemorationis defunctorum, item & hoc onere imposito per defunctum constituentem maioratum, vt scilicet, possessor huius maioratus tertiā partem suorum bonorum, cum moreretur, successori huius maioratus relinqueret cum aliquo pio onere. Quod quidem onus passim in hoc regno imponitur in principio constitutionis successoribus

soribus maioratuum, quo magis in dies reditus horum maioratuũ in augmentum deueniant, contingit, quòd is possessor tale crimen commisit, per quod ad mortem condemnatus fuit, is fretus prędicta ordi. quæ condemnatos ad mortem testari posse dicit ad pias causas, testamentum fecit, in quo reliquit dictam tertiam suorum bonorum successori huius maioratus, cum hoc onere adiecto, vt vnam aliam missam pro anima sua is celebrare faciat. Præsupposito quòd hoc onus adjici potuit ex ordinatione primi constituentis maioratum, quæritur, an valeat tale relictum, & videtur quòd sic, per d. leg. Regiam, quæ expresse permittit his condemnatis ad mortem testamentum facere, & disponere de tertia suorũ bonorum in pias causas. Hoc autem relictum pium esse videtur, tum quia relictum pro anima pium relictum dicitur. l. si quis Titio cum glos. ff. de lega. 2. tum etiam quia exemplum Ordinationis ibi, *& em mandar dizer missas*, expresse hoc permittere videtur. Quia tamen res hæc altiorem requirit indaginem, nec est præsentis materiæ, suo tempore & loco illam latius tractabo. Ne tamen in dubium vertatur, an primus institutor maioratus illud onus imponere potuerit filio, cui tertiam bonorum reliquit per viam maioratus, firmandum est, eum tale onus potuisse imponere, & statim vbi filius acceptauit maioratum, obligatur ad illud implendum, ex late traditis per Suarez in l. quoniam in prioribus, in sexta & in duodecima ampliatione de inofficioso testamẽto, pro quo est tex. melior de iure in d. l. vnum ex familia. §. sed si fundum, ibi nisi tantumdem, &c. de lega. 2.

20 Ex præcedentibus decidi potest quæstio singularis, quæ talis est, quidam rem emphyteoticam possidebat, cum potestate nominandi secundo loco aliam personam, vsque ad suæ mortis tempus, is testamentum condidit, in quo Titium nominauit, seu elegit, testamento sic condito, is testator accusatur de quodam graue delicto, & tandem condemnatur ad mortem, quæritur, vtrum irrito prędicto testamento, quod sine dubitatione cõtingit, per cõdemnationem ad mortem, per d. l. eius qui. §. 1. de testam. & alia iura supra allega. an electio, seu nominatio in eodem testamento facta irritetur. In quo distinguendum est, an is condemnatus fuerit ad mortem ciuilẽ, puta in perpetuam deportationẽ, an ad mortem naturalem. In primo enim casu res hæc non paruæ dubitationis est, quia secundũ magis cõmunem opinion in l. Gallus. §. & quid

quid si tantum. ff. de lib. & posthu. & in.l. vnum ex familia in principio de lega. 2. deportatus non amittit facultatem eligendi per.l.cum pater. §. hæreditatem in primo de lega.2.&.l. ex facto. §.ex facto.ff.ad Trebellia.Ex quo DD.magis contractui, quàm vltimę voluntati,electionis actum comparare volunt, & bene, quia videmus quòd electio potest fieri iure communi coram duobus testibus ex intentione Bart. in Q.filium adultum &c. & in d. l. vnum ex familia Hodie autem de iure regni,coram tribus testibus lib.4.ti..43.§.*& as ditas nomeações*. Et videmus quòd contractus celebrari possunt in testamẽto.l. asignare de asigna. liber. notat glo.in.l. hæredes palam.§. fi.ff.de testa. vbi traditur expresse,quòd reuocato testamẽto, vel irrito,non irritantur contractus in eo facti.Quod etiã voluit glo. in.l.etiam matris.ff.de inoffi. testam.in.l.si auia.C.iur.de liber.& vltra omnes soleo allegare Bald. in.l. fin. ff.de reb. eorum quem refert & sequitur Iaso. in.l. cum antiquitas nu.5.de testam.glo.in l.post legatum.§. qui mortis .ff. de his quib.vt indig.& nota. per Bar.in.l.cum quis decedens.§.codicillis de lega.3.Bart.in.l. gerit. 4.col.nu.18.ff. de acquir.hæred. Vnde videtur, quòd irrito testamento per deportationem,irritetur etiam nominatio, seu electio prædicta in eo facta facit in simi-

21 lis * quòd incõtingentia facti allegabant duo eximij Senatores nostræ Curiæ in processu cuiusdã minoris nomine Liluarti Caeirij cõtra Mariã Aluarez amitam suam Anno.1554.sriba Petro Lagea,affirmabant enim quòd rupto testamento agnitione posthumi,non rumpebatur nominatio seu electio facta in eodem testamento per supra dicta : sed ego ausus fuit tenere cõtrariũ, etiam si duo illi patres ac domini mei iam ante me cõcordes essent, & tãdem post me alij duo qui scripserunt,mecum sententiam tulerunt.Mouebar ex multis,quæ referre non curo in præsenti. Et inter aliam allegabam textum fortissimum nostræ ordinationis libro.4. titulo. 63.§. *& bem asi ibi fica isso mesmo a nomeação reuogada*, vbi text. expresse dicit, quòd si facta nominatione in testamento postea testator reuocasset illud,aut de iure per quem cumque modum testamentum illud redderetur nullũ, quòd remaneret prædicta nominatio, eo ipso reuocata.Et iterum subiungit textus hæc verba: *Per quanto a dita nomeação feyta no dito testamento asi reuogado , ou auido por nenhum he isso mesma auida por nenhũa asi como se nunco fosse feyta.* Vnde omissis etiam his, quæ

quæ ibi de iure communi allegaui, caſus noſter deciſus videtur per illam legem Regiam, cui omnino reſponderi non poteſt, vt firmauit egregius Senator Mendus à Saa in ſua intentione, qui breui & eleganti ſermone, vt ſui moris eſt, intẽtioni meæ aſſenſus eſt. Dicebam namque non ſatis reſponſum eſſe Ordinationi per dictos eximios Senatores, cum dicebant, illam ſolum intelligi debere in caſu, quo loquebatur, videlicet, in caſu, quo is qui eligere debeat, non poterat facta ſemel electione iterũ eligere, & quòd ideo lex illa non debeat intelligi in caſu noſtro, & in illo, de quo agebatur in proceſſu, quia electio ibi prout hic in præſenti variabilis eſt. Reſpondebam enim, quòd ille text. loquebatur in caſu magis dubitabili. Nam ſi in caſu, quo electio non eſt variabilis, diſponit ibi Ordinatio quòd irrito teſtamento, redditur etiã nulla nominatio in eo facta, à fortiori hoc erit in caſu noſtro, in quo electio erat variabilis. Et credendum erat, quòd Ordinatio expreſſit caſum magis dubitabilem, vt comprehenderet etiam minus dubitabilem. Quod autẽ minus dubium haberet noſter caſus, quàm ille in quo electio variabilis erat, patet, quia talis facultas nominandi ſic vſque ad tempus mortis conceſſa, magis ſapit naturam vltimæ voluntatis, quàm contractus, vt ex multis ibi probaui, & conſtat hoc quia variabilis eſt, vt.d.Ord. titu.63. in principio. Nimirum igitur ſi facilius hæc nominatio ſeu electio variabilis, quæ naturam ſapit vltimæ voluntatis, deſtruatur, deſtructa vltima voluntate, ſeu teſtamento, in quo illa facta eſt. Concludendo igitur in quęſt. propoſita, dico, quod nominatio prædicta facta in teſtamento, quòd irritũ fit per deportationem teſtatoris, irrita etiam manet, & per conſequens iſte nominatus non habebit rem iſtam, ad quam, electus ſeu nominatus fuit, ſed veniet ad eos de quibus in Ordi.lib.4.titu. 62. ordine ibi dictato.

In ſecundo vero caſu quando quis damnatur ad mortem naturalem, res hæc minus dubitationis habet, quoniam is qui ſeruus pœnæ eſt, electionem habere nõ poteſt.l.ex facto.§. ſi quis rogatus in primo.ff.ad Trebellian. & habetur in.d.l.cum pater.§.hæreditatem in primo de lega.2. Vnde cum per iura illa, electio ſeu facultas eligendi alicui conceſſa perdatur per damnationem in metallum, quæ damnatum pœnæ ſeruum facit, nimirũ ſi damnatus ad mortem amittat talem facultatem, quandoquidem & is tali caſu ſeruus pœnæ efficitur, vt eſt communis reſolutio in

Auth.

Auth. ſed hodie. C. de dona. inter vir. & vxor.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum cadauera eorum, qui ad mortem damnātur tradi debeant medicis ad anatomiam faciendam inconſulto Rege.

SVMMÆ.

1 *Cadauera damnatorum ad furcas, non poſſunt tradi medicis ad anatomiam inconſulto Rege.*

2 *Conſuetudo, quæ introduxit clauſulam in ſententijs poſitam, vt condemnatus ad furcas ibi perpetuo permaneat iure quoq; initur.*

3 *Propter enormitatem delicti etiam cadaueri pœna infligitur & inibi ratio aſsignatur.*

4 *Qui capite truncantur dari quoque non poſſunt ad anatomiam inconſulto Rege.*

5 *Idem in damnatis vt comburantur dicendum eſt.*

OFfert ſeſe mihi nō indecenter in præſenti tractare id ſuper quo nuper dubitatum fuit coram integerrimo ac præſtantiſsimo iuſtitiæ rectore Ioanne à Sylua cuius anima in pace quieſcit de quo breuiſsime agam, ne longius quàm oportuit euagari videar. Afferente inſigni protomedico Leonardo Nonio ſe à Rege inuictiſsimo noſtro non ſine magna difficultate impetraſſe, vt cadauera eorū qui ad mortē condemnātur, traderētur medicis ad anatomiam faciendam, nō defuit doctus aduocatus, qui dixit id iure communi fieri poſſe à iudicibus, qui reos ad mortem condemnant allegans Bart. in l. fin. ff. de cadauer. puni. Inde ſumpta occaſione mirabatur quidam generoſos vir & ſummæ autoritatis qui tunc temporis aderat, cur id precibus à Rege neceſſe erat impetrari ſi iure communi fieri poſſet, & cur ſaltem ſi nō à iudicibus, à rectore ipſo iuſtitiæ id medicis petentibus non concedebatur. Veritas eſt, quòd iure communi, hoc fieri poteſt: non tamen ex doctrina Bar. in d. l. fi. quoniā ille ſolummodo propoſuit queſtionē & indeciſam reliquit dicēdo cogitabit is, quòd raro Bart. dicere conſuebit. Nouiores autē videlicet Frāc. Curt. Lancelo. dec. & alij in l. Imperiū. ff. de iuriſd. omn. iud. tenuerunt hanc opinionem, quā & doctiſsimus Regij palatij Senator omni æuo memorādus Gaſpar Valaſcus in d. l. Imperiū aliquibus medijs comprobauit. Inter quæ illud adducit, quod tradit Bar. in l. fin. §. fi. ff. de pigno. actio poſſe iudicem capere hominem liberum, & qui in nullo deliquerat ad iuſtitiā exequendam, ergo à fortiori ſi deliquerit (inquit ille) poterit eius cadauer propter

publicam vtilitatem dari medicis ad anatomiam faciẽdam, nec poterunt consanguinei, aut filij iniuriarum agere contra iudicẽ, qui cadauer patris medicis tradiderit arg. tex. in. l. quod Reipublicæ. ff. de iniur. cuius verba sunt. Quod Reipublicæ venerandæ causa secundum bonos mores fit, etiam si ad contumeliam alicuius pertinet, quia tamen nõ ea mente magistratus facit, vt iniuriam faciat, sed ad vindictam maiestatis publicę respiciat, actione iniuriarum non tenetur.

Reperio tamen, quòd Franc. Rip. in tractat. de peste fol. 69. in versi. an autem corpora, proposuit hanc q. & idem tenuit quod præcedentes DD. ratione publicæ vtilitatis, quæ vertitur in conseruandis corporibus viuorum iuxta no. in. l. 1. ff. solu. matri. Hęc autem conseruatio fieri facilius potest, quandoquidem medici euadunt peritiores ob ipsam anatomiam. Dicit ille tamen, quod de consuetudine requiritur Principis autoritas siue licẽtia, quod Bononiæ seruari vidi. Nam Cardinalis Legatus, qui tunc temporis erat Ioannes Maria de Monte, qui postea Summus Pontifex fuit, nomine Iulius. III. concedere solebat licentiam medicis ad secandum cadauer alicuius ad mortem condemnati. Et cum forte interrogassem, cur ea licentia seu facultas non concederetur ab ipsis dominis de Rota, aut ipsis dominis de Palatio ac Gonfaloniero (vt illi vocant) respondit quidam doctor Bononiensis amicus meus, id solummodo fieri consueuisse à Legato Summi Potificis, cuius ditioni Bononia etiam in temporalibus subest. Hæc autem consuetudo summam habet æquitatem, & rationem ex infra dicendis. Vt tamen melius rem ipsam aperiam, & ne videar hæc tractare extra propositum, considerandum est, quod condemnati ad mortem vno ex tribus modis, vt apud nos moris est, vltimum patiuntur supplicium. Aut enim furca suspenduntur, aut capite truncantur, aut igni cremantur. Hos enim, qui primo modo mortem patiũtur, non posse de furca deponi, & in anatomiam medicis dari in consulto Rege, nulla apud me dubitatio est, quia licet Bal. voluerit, quòd de iure suspensus nõ possit in furca pendere nisi per spacium vnius diei naturalis, vt dicit in cap. 1. §. iniuria. num. 9. & 10. de. pace. iuram. firmand. Tamen apud nos inoleuit hæc optima consuetudo, vt in sententia apponatur clausula, vt suspensus perpetuò in furca permaneat. Cũ igitur hęc ita sint, & quodam modo pars pœnæ videtur esse, quòd perpetuò cadauer in furca perma-

permaneat, necessario sequitur dicendum, quod iudex hanc licẽtiam deponendi cadauer à furca mãdare non possit, quia minueret pœnam ab eo semel impositam, quòd ei facere non licet, sed soli Principi hoc conuenit per text. singu. in. l. Imperatores. ff. de pœnis facit. l. 1. §. fi. ff. de quæstio.

2 Nec putet aliquis hanc nostram consuetudinem ratione carere, sed potius eam habere, qua se fundauit text. in. l. capitalium. §. famosos. ff. de pœn. ibi, vt & conspectu deterreantur alij ab eisdem facinoribus, & solatio sit cognatis & affinibus interemptorũ. Et in eo etiam tex. ille singularis est, cũ iubet furca suspendendos esse famosos latrones in his locis vbi grassati sunt. Quod ad vnguem obseruatur in Regno Cataloniæ, in quo magis quã alibi inualuit hæc famosorum latronum pestis, & maximè in itineribus vbi passim suspenduntur in arboribus. Vidi etiã apud Gallos iuxta Montem Pesulanũ duos in itinere suspensos, qui manu armata nobilem quendam Hispanũ & pecunijs & vita spoliauerant. Et cum Senis essem decapitatus fuit quidam homicida, qui priusquam decapitaretur in foro, ductus fuit ante ostium domus illius quem occiderat, in quo loco fuerat inter eos fœdus pacis & amicitiæ contractũ, & postea pace non seruata, illum interfecerat proditorie, & in eodem loco amputata fuit ei manus dextera, & statim ductus in forum decapitatus est.

3 Nec cõtra nostram consuetudinẽ obstabit, si dicatur, quòd cadaueri nõ est infligẽda pœna vt tradũt Bal. post Cyn. vbi Ias. latè in. l. 2. C. qui testam. fac. poss. qui negant posse iudices eum qui sibi mortẽ consciuit in furca suspẽdere arg. l. defuncto. ff. de publi. iud. Crimẽ enim & criminis pœna extincta est, morte accusati. l. 2. C. si reus vel accusa. mortu. fue. Vnde dicunt, male agere Assessores qui contrario vtuntur. Et idem dicit Ioannes Ign. in. l. 1. §. sibi manus nu. 42. ff. ad Syllania. Non obstat inquã, hoc quoniam consuetudo nostra solum procedit in criminibus atrocioribus, in quibus etiã fatentur. DD. post Imol. in d. l. defuncto, quòd toleranda esset consuetudo per quam cadaueri infligeretur pœna in odium & detestationem criminis, & propter facti memoriam argu. eius quod habetur in cap. mulier is. q. 1. vbi etiam animal irracionale punitur propter facti memoriam & enormitatem delicti. Et licet dicatur & aliquibus quòd textus quem ad hanc conclusionem citat Accurs. in. l. 2. ff. arbo. furtim cæsa. illam non probet, tamẽ magna est Accurs.

autoritas & nimium facit vniuersalis consuetudo, non solum autoritate Accurs. fundata, verum etiam rationibus per Imol. & Roman. adductis. Videmus enim hîc, & vbique terrarum, quòd propter enormitatem criminis cadauer in frustra secatur, & sic discerptum affigitur in locis publicis.

Et licet ista sit vera solutio ad obiectum supra positum, tamen alia nō minus singularis dari potest, videlicet quòd DD. regulariter loquuntur in pœna afflictiua animati corporis, quæ quidem pœna post mortem dari nō potest: & est ratio secundum Bald. quia sunt pœnæ sensûs, & mortuus non sentit. Nos autem loquimur quoad pœnam denegandæ sepulturæ. Pœna enim priuationis sepulturæ respicit corpus absque anima, & ideo de natura huius pœnę est quòd post mortem infligatur. Ista fuit solemnis declaratio Bal. in l. 1. col. 2. C. ex delict. defunctó. pro qua facit singu. tex. in. l. 2. ff. de cadaue. puni. vbi dicitur, quòd si in insulam deportatus ibi moritur, pœna etiam post mortem manet, nec licet cadauer inde transferri & alibi sepeliri, inconsulto Principe. Et licet tex. in l. 1. ff. eod. dicat simpliciter hoc peti debere, nec declarat an à Principe vel à iudice hoc concedi debeat, vnde aliqui etiam à iudice id fieri posse dixerunt, & voluit glo. in Clem. 1. in verbo pœnitentiæ de pœniten. tamen verius est dicere cum Acurs. ibi in verbo petitum, quòd soli Principi hoc conuenit. Ex quibus concludo, quod in casu supra posito solus Princeps licentiā dabit medicis vt cadauer de furca deponi possit & in eo anatomia fiat.

4 Hi autē qui capite truncantur, medicis dari non possunt ad anatomiam faciendam, inconsulto Rege. Nā docet hodierna practica quòd nil aliud concluditur in sententia, nisi quòd reus in publico loco decapitetur. Quare iniustum videtur, vt cadauer vlterius vexetur, & detineatur iuxta. l. cum sit iniustum &. l. qui sepulchra. C. de sepul. viola. facit §. 1. quib. ex caus. manu. non lic. ibi, ne iniuria defunctus afficiatur. Inquit enim Ioan. Imo. in d. l. defuncto quòd Assessores iniuriam faciunt hæredibus mortui, si illum post mortē in furca suspēdunt arg. l. 2. §. quotiens. ff. de iniur. Nec huic rei obstare putarem. l. quod Reipublicæ supra allegata, quia illa loquitur quando magistratus facit non ea mente, vt iniuriam faciat. Iniuria autem semper fieri videtur, ni fiat secundum ius, hoc est, lege permittente. Idq; ratione manifesta probatur, quia negandum non est,

quin

quin denegatio sepulturæ pœna sit saltem eo modo quo supra dixi, & ideo cum iudex solum cõdemnarit reum vt decapitetur, si postea sepulturam denegasset tradendo medicis cadauer, iam metas sententiæ egrederetur, igitur &c. 1 Nec obstat si dicas hic non denegari in totum sepulturam, quia ossa & reliquiæ cadaueris funerari possunt. Respondeo enim quòd saltem differtur sepultura, quod iniuriosum iura reputarunt dict. l. cum sit iniustum, & vltra sententiæ metas iudex procedet. Est enim pro constanti tenendum quòd istis ad mortẽ condemnatis non est deneganda sepultura per text. in capit. quæsitum. 13. quæst. 2. videlicet si verè pœnituerunt, ne obstet text. in capit. placuit. 23. quæst. 5. & est etiam text. in. l. obnoxios C. de religios. Est igitur (vt ad rem redeã) concludendum quòd etiam hi, qui capite truncantur non possunt per iudices, sed solummodo per Regem ipsum medicis tradi ad anathomiã faciendã.

Alio & tertio modo vltimũ supplicium patiuntur Rei condẽnati vt supra dixi videlicet cum comburuntur quales sunt hæretici. Et dico quòd etiam hij & maiori cum ratione sine Regia authoritate & licentia non possunt dari in anothomiam. Et ratio est in promptu, quia si sic esset, non adimpleretur directè sententia, sed aut illa alterari videretur, aut pœna videretur augeri, si anathomia facta, cadaueris ossa & reliquiæ cremarentur. Iudicibus, autem semel sententia dicta, neutrum illorum facere licet. l. iudex posteaquam. ff. de re iudi. l. acta. §. de amplianda ff. eodem. Vnde, vt Reipublicæ consulatur, & ne aures Regis obtundantur quotidianis in hanc rẽ petitionibus, deberet ille iudicibus per legem concedere facultatem tradendi cadauera damnatorum medicis. Posse autem Regem id concedere nemo est qui vnquàm dubitauerit, attentis his, quæ supra dicta fuerunt.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum hij qui vltimum patiuntur supplitium possint sepeliri ab amicis vel consanguineis.

S V M M Æ.

1 *Quid statutum sit de iure diuino Canonico Ciuili, & consuetudinario, in sepeliendis damnatis ad mortem.*

2 *Male asseritur per aliquot. DD. peccare iudices qui corpora damnatorũ insepulta iacere permittũt*

3 *Lusitanorum consuetudo in hoc iustissima & piissima.*

4 *Nihil obest corporibus aut animabus mortuorum ad vitam æternã*

consequendam quòd sepultura careant.

5 *Consuetudinem nostram in sepeliendis damnatorũ corporibus pietati, humanitati, & religioni Christianæ cõsonam esse, multis Sacræ Scripturæ autoritatibus monstratur.*

6 *Multa enumerantur commoda, quæ sequuntur si corpora in Ecclesia sepeliantur.*

7 *Verba S. Augusti. cum dixit funera magis esse viuorũ s[ola]tia, quàm mortuorum sub[s]idia, declarantur: reprobata opinione eorum qui dicunt nihil omnino prodesse animabus si corpora in Ecclesia sepeliantur.*

8 *Mortuis magis prosunt specialia suffragia, adeo quòd error sit affirmare cũ Ioanne Uuicleff quòd orationes, quæ vni personæ specialiter applicantur, non plus illi prosint quã si generaliter pro omnibus fieret.*

VTrum autem hi, qui vltimo supplitio afficiũtur, possint sepeliri à consanguineis, vel
1 amicis, * dicendum est, quòd in hac re, triplex ius considerãdum est, videlicet, ciuile, canonicũ, & consuetudinariũ. De iure ciuili sepultura carere debent, quia iubẽtur in furca manere, vt & conspectu deterreantur alij ab eisdẽ facinoribus, & sólatio sint cognatis & affinibus interemptorum, vt inquit. l. capitaliũ. §. pen. ff. de pæn. Item & hi, qui capite truncatur, non traduntur sepulturę, nec etiam ossa eorum qui igni comburuntur, & quorum cineres cadaueris remaneñt nisi licentia petita, & obtenta tex. est in l. 1. ff. de cadaue. punito. Nec obstat. l. obnoxios. C. de religio. & sump. fune. quæ permittere videtur his dandam sepulturam, quia intelligitur per dict. l. 1. scilicet permittente Principe. De iure autem canonico possunt sepeliri. dict. cap. quęsitum. 13. q. 2. & c. placuit. 23. q. 5. Diuersa est tamen in hoc cõsuetudo diuersarum prouinciarum. Nam Galli seruãt ius ciuile, vt testatur Bartholomeus de Cassa in Rub. de confiscation. §. 1. in verbo il confisque les biens, numero. 5. Et etiam in Regno Cataloniæ passim in itineribus cadauera in arboribus suspenduntur, ibique ossa catenis ferreis ligata perpetuò manent, vt vidi. At vero Itali seruant ius canonicũ. Vidi enim multoties apud Bononiẽses summo mane damnatum ad furcam in ca suspendi, & vesperi de illa deponi, & sepulturæ tradi. Quæ consuetudo videtur originem sumpsisse ex tex. deut. 21. & text. Iosue. 8. f. vbi dicitur Regem quoque eius suspendit in patibulo, vsque ad vesperam & solis occasum, præcepitque Iosue, & deposuerunt cadauer eius de Cruce. Et ideo dicit Cassan. loco vbi supra, quòd melius in hoc

in hoc faciunt Itali quàm Galli.

2 Sunt etiam qui dicant, nõ valere consuetudinẽ, vt corpora dãnatorũ in sepulta maneant, imò peccare mortaliter iudices, qui sepulturã illis denegant. Firmat hoc Rauenna. in cõpendio tit. de furt. colum. 2. ad fine. & alij quos refert & sequitur Rochus in. c. fi. de consuetu. fol. 12. Et grauissimũ errorem facere iudices testatur Iacob. Beulen. in repetitio. l. capitalum. §. famosos num. 15. de pœn. sumpta argumentatione à tex. in. cap. quęsitum. 13. q. 2. Cui enim Sacramentum pœnitentiæ nõ negatur, nec sepultura neganda est. Doctissimus tamen Didacus Couarruuias in lib. 2. resolutionũ cap. 10. nu. 11. dicit, quòd non auderet, mortalis criminis culpa notare iudices, qui, attenta & loci & temporis qualitate, & conditione, optimo in Rempublicam zelo corpora damnatorum vltimo supplicio, vel ad tempus, vel in perpetuum insepulta iacere, dimittunt. Et huius opinionis fuit id asseuerando Maior in. 4. sententiarum dist. 45. q. 4. qui iudices excusat. Nec Abb. in. c. ex parte in. 1. de sepultu. & Syluest. in verbo sepultura. quęst. 10. contrarium dicunt, vt rectè intuenti constabit. Et licet obstare videatur text. supra relatus deuteronomi. cap. 21. illi tamen satis respondet Maior loco supra

3 relato. Consuetudo tamen nostra & iustissima & pientissima, melius in hoc se habet, quæ & iustitiam amplectitur, & misericordiam non deserit in hac remedium inter has duas consuetudines tenens. Nam quamuis in sententijs dicatur, vt notum est, quòd talis damnatus perpetuo infurca permaneat, adueniente tamen die, in quo celebrantur vesperæ commemorationis omnium defunctorum, cadauera de furca deponuntur & cum solemni pompa sodaliũ confraternitatis diuæ Mariæ de misericordia sepeliuntur. Item & hij, qui, capite truncantur, cum per aliquod spatium temporis ad terrorem in loco publico detinentur, etiam sepulturæ traduntur obtenta faciliter licentia à iudicibus.

Neque putet aliquis hanc nostram consuetudinem ideo introductam, vt credamus aliquid obesse corporibus aut animabus mortuorum ad vitam æternam consequendam, quòd illi sepul-

4 tura careãt. Iniuria enim in hac vita corporibus illata nihil obest resurrectur, quin vitam æternam consequi posint, vt est tex. in cap. sacris in fi. de sepultu. cum ait licet non obsit iustis sepultura nulla vel vilis: impijs tamen celebris vel speciosa non prosit, etiam si ipsa corpora fluminibus

submergantur, vel à bestijs consumantur, vel quocúque modo in sepulta iaceant, vt testatur August. lib. 21. capit. 12. de ciuitate Dei, iuxta illud verbum domini apud Matth. cap. 20. Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Et ideo dicitur in Psalmo. 78. possuerunt mortalia seruorũ tuorum escam volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs 5
terræ, effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Hoc itaque (vt inquit Conradus Brunus in lib. 4. de cæremonijs cap. 6.) magis est ad exaggerandá crudelitaté eorũ, qui talia fecerunt, quàm ad eorum mortuorum infelicitaté, qui crudelitate illa perpesi sunt. Quáuis enim ea in cóspectu hominum & dura, & dira videátur, preciosa tamen est in conspectu domini mors sanctorum eius, vt tradit sanctus Ambrosius in libro de bono mortis capit. 10. Et hic considerandum est, quod non solum defectus sepulturæ animabus quidquam obesse potest, sed neque etiam ipsis corporibus. Non enim credendum est, (vt inquit idem Conradus) Deum optimum maximum permisisse, vt corpora tot sanctorum Martyrum lacerata & concremata fuerint, si quidquam corporibus eorum in extremo iudicio resurrecturis obesset illa ingens sæuitia. Neque ob aliud, dicit, credendum esse hoc diuinitus fuisse permissum, nisi vt discerent Christiani in confitendo Christum dum contemnunt hanc vitam, multo magis contemnere sepulturam, & nihil dubitare, etiam neglecta corpora, integra tamen eadem in extremo iudicio esse resurrectura. Hæc autem omnia licet verissima sint, consuetudo tamen nostra in sepeliendis damnatorum corporibus pietati, humanitati, misericordiæ, & religioni Christianæ consona est, vt supra dictum extat, & probatur ex verbis text. in l. & si quis. §. sed interdum ibi vel ipsius humanitatis, an vero misericordiæ, vel pietati tribuens. ff. de religio. & sumpt. funera. Videmus etiam quòd quando Iacob filium Ioseph. rogauit, vt eum non sepeliret in Ægypto, hoc opus sepeliendi misericordiam appellauit. Habetur etiam Genesis cap. 47. in fine facies mihi misericordiá, & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cũ patribus meis, & auferas me de terra hac. Condasq; me in sepulchro maiorum meorum. Quod filius sic fecit, vt pater ei perceperat, obtenta licentia à Pharaone Rege, vt dicitur Genesis capite quinquagesimo inprincipio.

Dauid

Dauid etiam, cùm nunciatum ei fuisset, quòd viri Iabes Galad sepelissent Saul, benedixit eos sic dicens: Benedicti vos à Domino qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum, vt habetur. 2. Regum capit. 2. Et ob hanc rationem antiqui patres filijs curam commendarunt eorum cadauera sepelienda, quòd res hæc ad pios & misericordes filios pertineat. Constat Genesis capit. 49. vbi Iacob, postquam benedixit filijs suis præcepit eis, vt eum sepelirent cum patribus suis, sic etiam Tobias filio suo curam sepeliendi eius corpus imposuit, vt legitur Tob. cap. 4. & habetur in cap. Ebron. 13. quęstione. 2. Sic etiam Isaac & Hismael filij Abraam sepelierunt patrem suum, vt dicitur Genesis capite. 25. in principio. Et per contrarium res inhumana videtur, & vltionis atque vindictæ digna, prorsusq; à misericordia aliena, si cadauer alicuius sepulturæ non inferatur. Nam Propheta ille domini, de quo narratur. 3. Re. cap. 13. cum inobediens fuisset domino, verba hæc ab ipso domino audiuit, Quia nō obediēs fuisti ori domini, & non custodisti mandatū qđ præcepit tibi dn̄s Deus tuus, & reuersus es, & comedisti panē, & bibisti aquam in loco, in quo pręcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrū patrum tuorum. Fuit autem Propheta iste occisus à leone in via, & erat cadauer eius proiectum in itinere, & postea ab alio Propheta fuit sepultus. Si ergo opus istud sepeliendi cadauera, opus est misericordiæ, iam audiamus verba miranda tex. in cap. ponderet in fi. 50. di. Sentētiam, quę verat misericordiam, non solum tenere fratres, sed etiam audire, fugite, quia potior est misericordia omnibus holocaustomatibus & sacrificijs. Nec ius ciuile hoc pietatis & humanitatis, atque misericordiæ opus improbare videtur, quòd prohibeat mortuorum corpora sepelire intra municipia, ciuitatem, vel oppidum. l. 3. §. diuus. ff. de sepul. violato. l. mortuorum. C. de religio. & sumpti. func. Hoc enim iure ciuili ideo prohibebatur, ne fœtore cadauerum aëris temperies corrumperetur, & inde morbi periculosi in municipes & ciues irruerent: quòd facile euenire poterat, si cadauer non sub terram, sed super eam deponeretur circundatum tenui pariete, qui multoties demoliebatur antequam vermibus corpus consumeretur, & ob id fœtor maximus locum illum circundabat, quòd & nunc apud Italos facile euenire potest, quandoquidem eodem

eodem modo multa nobilium virorum cadauera in Ecclesijs deponuntur. Nunc autem iam mater Ecclesia statuit, vt corpora mortuorum sepeliantur, & quidem apud Ecclesiam, vel eius coemiterium, vt habetur in Concilio Triburiensi, cap. 15. & in tex. cap. vbicunque, &c. c. placuit, & c. non æstimemus. 13. q. 2. & in c. nullus ead. causa, & q. Et ex hoc sepulturæ loco nonnulla animabus commoda sequuntur. Pri-
6 mum * nempe est & præcipuum, vt orationibus canonicorũ, monachorum, vel clericorum in ea Ecclesia degentium domino cõmendentur mortuorum animæ, & remissionem delictorum, quã meritis non obtinent illorum intercessionibus percipiant, vt dicitur in d. cap. 15. Secundum est quòd eorum animæ commendantur specialiter patrocinijs sanctorum illorum, in quorum nomine dedicata est Ecclesia, in qua mortuorũ corpora sepulta sunt, vt inquit tex. in d. c. non æstimemus in fi. & tradit glo. in cap. cũ grauia ead. caus. & q. Et ideo summa cum ratione pia illa ac religiosa cõsuetudo apud nostrates inualuit, vt sub vmbra & prote- 7
ctione alarum diuæ Mariæ matris Dei & virginis intactæ corpora damnatorum cum processione solemniter sepeliantur in templo diuæ Marię de misericordia, vt ipsius virginis dei paræ, ac omnium fidelium matris pia intercessione interueniẽte à pœnis purgatorij liberentur.

Prodest etiam ad aliud sepultura ecclesiastica, quoniam hi, qui locum sacrum ingrediuntur, vbi corpora sepulta sunt, facilius mouentur ad compassionem, & orant dominum pro sepultis, & cùm venit in mentem sanctus aut sancta, in cuius honorem ille locus est sacratus, animas defunctorum ei commendant, vt apud Deum pro illis intercedere dignetur: quòd certe ita non facerent, nisi hoc sepultura posita ante oculos admoneret. Et quanuis de defunctis alibi sepultis recordemur, non solet mens nostra sic prómpta effici ad orandũ pro illis prout est, cum peruenimus ad loca sacra, vt ex multis concludit frater Alfon. in d. libro aduersus hæreses, lib. 13. in verbo sepultura fol. 827. & tradit Ioannes Raulin. in libro qui subscribitur doctrinale mortis titulo de cura cadaueris habenda, c. 27. versi. secundo vtilis, &c. vbi ponit & alia commoda, quæ ex sepultura ecclesiastica mortuis obueniunt: * & ex eorum dictis declaranda sunt verba sancti Augustini in libro primo de ciuitate Dei, capit. 12. & in lib. de cura pro mortuis agenda cap. 7. dũ dixit funera magis esse viuorum

solatia

solatia quàm mortuorum subsidia, concludens locum sepulturę nihil prodesse animæ ad gloriã, vel miseriam eius augendam, vel minuendam, vt etiam supra dicebatur: vt illud intelligatur verissimum esse in casu quo loquitur, videlicet ad animæ gloriam augendam, nam aliàs habet sepultura non contemnendas vtilitates, vt dictum est. Ex quo inquit Alfon. Castr. vbi supra quòd Valdęses (de quibus scribit Æneas Syluius de origine Boemorum cap. 35.) quando asserunt nihil distare qua terra corpora humana sepeliantur; siue locus sit sacer; siue non, rectè quidem dicere, neque eorum sententiam de hæresi esse notandam. Sed quia absolutè affirmarunt, nihil omnino prodesse animabus; quòd corpora in loco sacro sepeliantur, merito sententia eorum damnatur, quia licet non prosit ad animæ gloriã augendam, prodest tamen ad alia, de quibus modo dictum est, & tradit Conrradus in d. libro de cæremonijs lib. 4. cap. 6. Confirmatur hoc, quia etiam in veteri testamẽto maximus quidem habebatur respectus, in sepeliendis cadaueribus ad loca, in quibus illa sepelirentur. Nam Propheta senex ille, de quo narratur. 3. Regũ cap. 13. iussit corpus suum sepeliri in sepulchro in quo vir Dei sepultus erat, & quòd ossa eius ponerentur iuxta ossa illius viri Dei. Quæ res illi profuit, vt multis elapsis annis, quando Iosias Rex templa idolorum euerteret, & ossa exhumari de sepulchris, & ea comburi iusserit, honorem Prophetæ Dei differens iussit, vt ossa alterius Prophetæ qui iuxta illum sepultus erat, intacta manerent, vt legitur. 4. Regum capi. 24. Constat etiam Genesis capi. 35. quod Debora nutrix Rebecæ sepulta fuit ad radices Bethel subter quercum, in quo loco edificauerat antea Iacob altare, & appellauerat nomen loci illius domus Dei. In exequijs autem agẽdis is ritus obseruari debet, quẽ peculiaris consuetudo patriæ tenet, dummodo non abhorreat à pietate, vt concludit Antonius Honcala in tractatu de exequijs pro defunctis folio. 63. vbi etiam eleganter tradit, quid significent vestes lugubres & campanarum sonus, & ceræ crematio, quid incensum, & tintinabuli sonitus, & crux dominica, pompam lugubrem præcedentes d. folio. 63. colum. 3. Laudanda est itaque consuetudo nostra & amplectenda, quæ cadauera eorum, qui in patibulis moriuntur, sepelire statuit.

8 Et quãquàm * vniuersalis Ecclesia singulis annis statuerit, preces pro mortuis domino effundere, & suffragijs eos iuuare, & pro omnibus regeneratis hæc facere

cere consueuerit, vt nullus prætermittatur ad quem debeant ista beneficia peruenire. Melius enim supererunt ista his, quibus neque obsunt, neque prosunt, quàm eis deerunt, quibus prosunt, vt inquit sanctus Augustinus in libro de agenda cura pro mortuis, & habetur in text. d. cap. non æstimemus. Prædicta tamen pia consuetudo statuit, vt specialiter pro his damnatis ad mortem suffragia fiãt eo die, quo per sodales congregationis diuæ Mariæ de Misericordia eorum cadauera sepeliuntur: quia mortuis magis prosunt specialia suffragia ex intentione facientis pro illis secundũ Tho. in 4. & alios quos sequitur Archiepiscopus Floren. in. 3. parte in tit. de suffragijs in fine principij & in. §. 6. adeo vt error sit affirmare quòd orationes, quæ vni personæ specialiter applicantur, non plus illi prosint, quã si generaliter pro omnibus fierent. Cuius erroris fuit autor Ioannes Vuitcleff. quam multis sacrarum literarum autoritatibus impugnat & damnat frater Alfonsus de Castro in libro. 11. aduersus hæreses in verbo oratio in fine folio. 703. quæ referre nõ curo. Satis est locum lectori indicare in quo multa doctissimè cumulata reperiet. Et fuit huius improbi Ioann. Vuitcleff. opinio illa reprobata per Concilium Cõstantiense cessio. 8. inter alios pariter reprobatos articulos. 45. quornm ille vnus. 19. erat in ordine scripturæ. Iussit item sacrũ Concilium ossa dicti Ioannis exhumari, & procul ab Ecclesiæ sepultura iactari, vt constat in dicta cessione. 8.

LAVS DEO.

INDEX GENERALIS OMNIVM SENTENTIARVM ET NOTABILIVMQVE IN hoc libro continentur, tam authoris quam Additionatoris æditus à Licentiato Yebra de Quiros Regalis parlamenti Vallisoleti aduocato.



A.

 amittit

D.

D.

E.

I.

N.

rente

Q.

R.

Regale

S.

INDEX.

INDEX RERVM ET NOTABILIVMQVE IN HOC TRACTATV CONTINENTVR, A LICENTIATO YEBRA de Quiros parlamenti Vallisoletani aduocato.

Con-

FINIS.